JO: VINCENTII
LUCCHESINII
PATRITII LUCENSIS
PONTIFICI MAXIMO
A
BREVIBUS AD PRINCIPES
HISTORIARUM
SUI TEMPORIS
AB
NOVIOMAGENSI PACE.
TOMUS TERTIUS.

ROMÆ, MDCCXXXVIII.
Typis, & Sumptibus Hieronymi Mainardi.
SUPERIORUM PERMISSU.

Emo, & Rmo

S. R. E. CARDINALI

NERIO CORSINO

SS. D. N. CLEMENTIS XII.

Fratris Filio.

JO: VINCENTIUS LUCCHESINIUS

FŒLICITATEM.

NIHIL esse hominum generi jucundius; nihil ad reipublicæ curanda commoda, dirigendamque privatæ vitæ rationem utilius ac in evolvendis annalium monumentis, & quid casus aut virtus fortunæ

domina tulerit, investigando plurimùm diversari, te sane, PRINCEPS EMINENTISSIME, qua polles mentis magnitudine rerumque gerendarum scientia, latere nequit. Quamquam enim divina quadam ingenii luce sibi in agendo præfulgeat animus, tamen errandi metu, & futuri caligine circumfusus plerumque hæret anceps, ac sæpius hebescit adeo, ut monstrare & munire illi viam, quam debeat insistere, nimiùm profectò sit opus. Ut verò natura ad imitandum propensi sumus, & exemplo magis quàm alio quolibet argumento ducimur, prompte avideque repetimus anteacti memoriam temporis, in eaque recolenda nostram libenter navamus operam. Quod cùm omnibus ad bene sapienterque vivendum opportunum sit, iis enimvero, qui publicis administrandis negotiis præsunt, & ad moderanda reipublicæ gubernacula sedent in puppi, est utique pernecessarium. Tot siquidem improviso erumpunt circumstantque rerum maximarum eventus, ut dubiis distractus curis, sibi non satis, quò se vertat, animus explicare posset, nisi e præteritis factis fortunæque vicissitudine par quidpiam ei succurreret, quod veluti ducem prosequeretur. Hæc dum sedulò cogitarem, mihi propemodum sum restitutus, anxius antea, cùm tanta ac tam illustria tua in me sint merita, tantumque EMINENTIÆ TUÆ de-

debeam, quantum numquam ſolvendo eſſe queam; an mihi ſaltem aliquid ſuppeteret, quod grati addictiſſimique tibi animi mei teſtem adhiberem. Intellexi enim, non alienum ab amplitudine tua nec injucundum tibi fore opuſculum, tenue quidem (nam ſplendidum offerre nequeo) ſed clariſſimis obitis abs te jamdudum, & quæ modo ſuſtines, muneribus, tuæque vitæ inſtitutis quammaxime conſentaneum: Hiſtoriam ſcilicet noſtrorum temporum a me conſcriptam, cujus tertium iſtud volumen ampliſſimo tuo nomine condecoratum dicare tibi venerabundus audeo, ac perenne conſtituere monumentum humanitatis & beneficentiæ erga me tuæ, meæque in te voluntatis penitus obnoxiæ devinctæque ſingulari obſequio atque obſervantia. Illam pervolutanti non ſine reminiſcentis animi voluptate, ſe tibi offerent loca, tot egregiis facinoribus nobilitata, a te pridem adita, dum Europam aut ingenii erudiendi cauſa noſcendique mores hominum, aut magna explicaturus negotia perluſtrares. Uberiori verò perfuſus gaudio ibi pariter conſpicies, in tanto fluctuantis reipublicæ tumultu, & fato viam ad ingentes regnorum viciſſitudines aperiente, jacta curarum ſemina, quæ te poſtmodum Medicea Legatione perfunctum diu multumque exercuerunt, dum ſolicito quidem ſed ad

famam

ſamam tui nominis celeberrimo ſtudio, laborandum tibi fuit, ut Florentini moles Imperii ſine armorum ſtrepitu, nullaque Civium pernicie tranſmoveretur. Placent enim prӕteritӕ ſolicitudines, quas immortale conſequitur gloriӕ prӕmium. At erit fortaſſe, ubi te magis oblectes, complexus animo pervagatuſque diverſa illic eſpreſſa Principum conſilia, adhibitas adminiſtrandӕ reipublicӕ artes, conciliatam morum ſuavitate & ӕquo dicendo jure populorum benevolentiam, compoſitas moleſtiſſimas controverſias, datumque documentum, nihil tantӕ difficultatis eſſe, quod prudentia ac dexteritate expediri nequeat. In iis quippe contueri poteris effigiem animi tui, & quantum hujuſmodi ſolertiſſimӕ diſciplinӕ apud te collegeris, idque deinceps amplificatum tuӕ mentis magnitudine contuleris ad commune bonum, dum Pontifici maximo, glorioſiſſimo Patruo tuo, in prӕſtanda ſubjectis ſibi civili imperio populis proſperitate, allevandaque immenſa Apoſtolici miniſterii ſolicitudine opitulari ſtudes. Et ſanè tuus ille recti verique amor quid non affert utilitatis? Ita ſiquidem ſycophantis deeſt inſidiandi locus, veteratoribus calumniandi. Quo non excipitur plauſu nullis involuta ambagibus apertaque animi tui ſignificatio, & numquam non ſervata religioſiſſimo ſtudio

dio

dio promissi fides? Non apud te valent munera, luctuosissima pestis ac labes reipublicæ; sed virtus, partaque virtute & factis egregiis merita. Quòd si explicandis conficiendisque negotiis nihil officit adeo ac inflexibilis quædam retinendi propositi obstinatio, quæ plerumque timidis ingeniis & inexpertis adest; præsidium habes, ne scopulum tam infestum offendas, ab singulari tua sapientia, quæ statim eò te ducit, quò progredi suadet temporum conditio, & longius ire prohibent Apostolicæ Sedis jura: quam qui simul docilitatis, simul invicti roboris laudem assequuntur, humanæ sapientiæ metam attigisse, censeri debent. Ad hæc accedunt non intermissa in tractandis rebus sedulitas, in sacris gerendis magistratibus prompta ac diligens cura, in religionis obeundis officiis accuratissimum studium. Clarus incedis morum elegantia, ecclesiasticæ vitæ integritate, bonarum artium cultu ac tutela. Tibi gratiam conciliat conjecta in ærumnosos occulte, ut ipsorum parcas verecundiæ nec pompæ servias, ingens pecunia; gloriam, palam propositum bonis omnibus insigne tuum patrocinium. Denique nemo est, qui tua te utentem ad uniuscujusque solùm salutem auctoritate summis laudibus non extollat. Quæ cuncta, si fortè ad exaratum istud a me volumen oculos convertere non abnueris, cùm

cùm non leviter in uno aut altero magnorum virorum instituto adumbrata reperies, gaudebis in te transtulisse; maxime verò gratulaberis, quòd quidquid ab auspicatissima indole, a clarissimis Majorum tuorum exemplis, ab ipsa fortuna cumulate acceperis, id omne, virtute tua mirificè exaggeratum, publicæ devoveris fœlicitati. Inde autem (si ominari mihi licet, gratum fore EMINENTIÆ TUÆ hujusce lucubrationis meæ, pingui ut ajunt Minerva contextæ, munus ceteroquin perexiguum) lætabor utique, uberrimum percœpisse suscepti laboris fructum, in eoque obstricti maximis beneficiis, obsequentissimique animi erga te mei testimonium dare potuisse.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro sacri Palatii Apostolici.

Philippus Spada Episc. Pisauren. Vicesg.

IMPRIMATUR

Fr. Joannes Benedictus Zuannelli Ordinis Prædicatorum sacri Palatii Apostolici Magister.

HI-

HISTORIARUM
TOMUS TERTIUS
Liber Undecimus.

AGGREDIENTI mihi mandare huic tertio volumini, quæ plura hoc ſeculo incredibili ſtrepitu per omnem Europam geſta narranda ſuperſunt; eaque idcirco uno veluti aſpectu circumſpicerem ac diligenter animo perluſtrarem; tot tantaque utriuſque fortunæ documenta, egregiis factis nobilitata ac ſæpius maximis involuta ambagibus ſe ſe obtulerunt, ut ad immane ſpectaculum me ſuſtinuerim, non deterritus illa literis, utcumque valeam, aſſequendi labore, ad quem inveterata conſuetudine jam obdurui; ſed anceps, conterendæ ne mihi ultra forent exiles ingenii vires in opere elucubrando, quod ingenti licèt difficultate com- 1693.

1693. mendatum, nescio, hac nostra ætate, longe diversis distracta curis, quanti fieri ac pendi possit. At ubi deinde posterorum in mentem venit, quibus (nisi me suscepti negotii fallit amor) ad instituendam vitæ rationem jucundum fore non dubito, ab scriptore partium studiis prorsus vacuo percepisse, qui suæ reipublicæ status fuerit, quæ suæ gentis fortuna; eorum benevolentiam gratamque memoriam, præmium honesto viro omnium amplissimum, aucupaturus me collegi, omnique hæsitatione fidenter abjecta statui ab instituto semel cursu non discedere dubiisque diutius fluctibus me committere; præsertim cùm jam in altum progressus, si vela contrahere vellem, timiditatis aut inertiæ redarguerer; qua labe, qui pudori ac famæ consulit, carere debet. Bellum inter Christianos Principes, tanta armorum contentione ac militari virtute adhuc pugnatum, utramque partem, sed Gallos præcipue, degravabat, uno tot aliis obnitente Ludovico Rege; qui quamvis ubique victor lætusque plaudente sibi fortuna; tamen anxia volutabat mente, se supremas exerentem vires hactenus vicisse; verùm extremos conatus adversùs hostem, primo nequaquam depressum impetu & se facilè instauraturum, ad universum eventum belli, quippe qui nimiùm debilitent, funestos esse. Itaque ad prima dividendi inimicos consilia, oblatis hone-

Ludovicus Rex pacis conditiones proponit.

honestæ pacis conditionibus, convertit animum. 1693.
Idque non clam, ut ante, submissis, qui dubios fatigatosque promissis allicerent; sed veluti pro communi mortalium bono temperare fœlicitati suæ vellet, palam conditionibus propositis, in quas non abnueret se conventurum. Prima, dum per æstatem arma vigerent, apud Sveviæ Daniæque Reges tentata Germania, quæ tot Principum ut imperio ita & divisa consiliis, tum quoque externis, ut diximus, internisque fluctibus exagitata vacillare quidem posse videbatur. In hanc verò sententiam ab Rege oblatæ componendi dissidii leges. Argentoratum in Gallorum potestate maneat jure bono. Ejus loco **Philippoburgum Friburgumque** *Quæ fuerint.*
integris munitionibus; deletis, Traerbachum Montemque Regalem ad Mosellam amnem se daturum: Transrhenanas arces Ludovicam Huninganamque solo æquaturum. Octovirum Palatinum, ac Lotharingiæ Ducem in suas ditiones restituturum. Is tamen decedat Ludovica arce altera ad Saram amnem, Bicha, Homburgoque, compensato alibi eorumdem oppidorum damno; & insuper Octoviro additurum, ut de quo ipsi Carlotta Ducis Aurelianensis uxor fraternæ hæreditatis nomine litem contestata fuerat, deinceps taceret. Si quis reddito superioribus annis Metis Brisiacique de usucapionibus judicio damnum fecisse putet,

1693. arbitri rursus constituantur, quibus inter se dissidentibus penes Rempublicam Venetam rei decernendæ arbitrium sit. Reliquæ vicennalium induciarum leges, novem ante annos pactæ, perpetuò vigeant. Hæc ubi vulgata, Rheni accolas, malorum haud inexpertos, quæ bellum affert, quibusque iterum objiciebantur, plurimùm exhilararunt. Invaluerat siquidem apud eos opinio, satis ita regionis suæ tutelæ ac securitati provisum fore; aliorum Principum studia nimio suæ Gentis damno fovenda sibi nequaquam esse. Verùm ad ipsos confirmandos retinendosque Cæsar aliique circum Reguli extemplo affuere officiis, ope, promissis, oblataque spe non exigua rerum mox secundarum.

Repudiata, & quare. Plus etiam, ut ad bellum obdurescerent, sævissima valuit immissa illa in Palatinatum conterminamque oram procella, qua Galli, terrore internuntio, speraverant ad res componendas facilius concussos populos impulsum iri; facto nunc pariter documento: mediocres ærumnas, quæ progredi ultra possunt, flectere ac mollire sui metu animos; ingentes, cùm nihil iis acerbius timendum sit, ad ulciscendum acuere atque obfirmare. Non ita multo post Ludovicus reconciliandæ cum Leopoldo Cæsare & Carolo Hispaniæ Rege amicitiæ interpretes Innocentium P. M. Venetumque Senatum constituit, dixitque conditiones: ut scilicet ad Leo-

Rex iterum Pont. Max., & Venet. Sena-

Leopoldum Philippoburgum Friburgumque jure bono redirent; ad Carolum, quicquid ipsi hoc bello deperisset. Obiere illi creditum munus, quamquam haud ignari, nihil ab hoste propositum non iisdem suspectum fore; & Privatorum, nedum Principum animos, recenti adhuc injuria, inexorabiles esse. Neuter nè spatium quidem ad deliberandum cœpit, datumque illico responsum: non ignotam sibi esse Gallorum artem, unum aliquem ex hostibus, quem a sociis divellant, blanditiis aucupantium, ut reliquis debilitatis fœlicius insultent; cunctos denique, mutua destitutos ope, singillatim opprimant. Referrent proinde: se communi Fœderatorum consilio arma sumpsisse ac gerere, nec aliter quàm omnium consensu posituros. Ponendi autem nondum maturum videri tempus, vigentibus adhuc Gallis; qui, si validi, quiescere nesciunt; eòque dein sævirent vehementius, quò nunc sibi metuunt. Frangi verò eos non posse, nisi diuturna fœderatorum conjuratione; quippe fœderibus mole naturaque sua inditum sit, serius agere. Per id prope tempus & Allobrogum Dux ad pacem intentiori etiam studio solicitatus. Huic Marsallensi clade perterrefacto Dux Aurelianensium eumdem, quem superiori anno, Chanlæi dynastam miserat cum mandatis: tandem ut ab infœlici persequendo bello abstinere, atque affi-

tum pac.pcatores inter se ac Cæsarem & Hispanum constitui postulat, conditionesque dicit.

Sed frustra.

Tentat seorsum Allobrog. Ducem, & quomodo.

1693. affinis Regis facilitatem, quam ipse Genero exoraverat, periclitari vellet. Fore, si vacare ab armis inducat animum, ut nihil ipsi rerum suarum, quas vix non funditus prostratas conspiceret, depereat. Dum tamen aliquod constantis fidei pignus, quoad ubique pax habeatur, Regi dare non abnuat. Ne verò pudori sibi esse ducat, desertos socios duriori bello involvisse, inducias per Italiam pangi posse, unde magnum illis levamentum, sibi ab universa provincia plurimam gratiam sit pariturus. Soceri Aurelianensis dictum Sabaudus non aspernari; sed modò prætendere violandi fœderis verecundiam, modo tergiversari; nonnunquam de otio ubique restituendo sermones interserere; quid in animo haberet, callide occulere mentis latebris. Tanta enim rerum suarum labe irritatus, quodque eximiis indole aut genere viris immedicabile, despectui habitus, Gallos oderat; clamque ipsum non erat, se non benignitate, quæ rara apud hostes, sed quòd præsagam affuturi tandem ipsis mali mentem gererent, ab armis revocari; indicio quoque inusitatæ lenitudinis, quam minaci & superbo inimico unus tantummodo metus exprimit. Simulando autem trahebat tempus, ut suspensis Fœderatorum animis, largiori liberalitate ab ea solicitudine se vindicarent. Nec falsus fuit. Nam & Hispanus suas se in Italia suppleturum

Qui primùm aures oblatis conditionibus præbere simulat.

Co-

copias fidem dedit persolvitque, domi licèt cavendum sibi esset. Et Cæsar illum promissis oneravit, quæ minus tamen servare potuit, Hungarico pressus bello. At majus in Vilhelmo Rege momentum erat, & præstò fuit. Ejus quippe nimis intererat, Italicum bellum, Gallis præter cetera incommodum, accendi vehementius, nedum extingui. Gravis illum angebat solicitudo, non ignorantem se potissimùm peti ab Galliæ Rege, dum reliquis Fœderatis, nulla sui mentione, æqua proponeret; timentem simul, ne quispiam aliquis defessus ærumnis, quas accepisset, & inita pax lenitura foret, Ludovici promissis cederet; neve unius exemplum (qui finis fœderum solet esse) ad alios manaret, in Anglos etiam irreperet, pertæsos tot vectigalium ad alendum fœdus, & facilè defecturos, si prosperi eventus nutaret spes, e qua solùm in recenti dominatu pendet fides. Ad eludendam igitur Gallorum artem, unde sibi excidium parabatur, vixdum laxaverat a bellicis curis animum, se totum dedit. Hagam profectum sub autumni finem, ac Senatum ingressum (qui, quicquid Batavi in commune decernunt, ejus fieri debet auctor), hanc habuisse orationem ferunt. Quo sim animo affectus, dum vobis, illustre Batavorum Consilium, verba facere aggredior, mihi non sane liquet. Mœsto ne rebus per æstatem minus

1693.

Ut validiora subsidia a Fœderatis extorqueat.

Felici eventu præcipue a Vilhelmo Rege.

Hujus ad Batavorum Senatum sermo.

1693. nus profpere geftis; an læto, capta inde fpe, melius in pofterum proceffuras. Doleo acceptas clades; prægeftio reputans, ipfa vulnera, ni deferatur caufa Reipublicæ, falubria fore. Non enim ex uno aliquo fucceffu, fed ex intima rerum conftitutione armorum fortuna penfanda eft. Ceffimus non ignavi, non incuriofi, non militaris artis imperiti. Nihil horum hactenus fuit, quo dux aut miles (abfit a verbo invidia) queat argui. Verùm quòd ftatim nervos omnes contendit hoftis; Fœderatis fuas penitus explicare vires nondum placuit. Et quamquam illum numero fortaffe æquávimus; tamen ut natura comparatum eft, adventitium robur, pari licèt momento, minus poffe quàm infitum; ita qui fuis tantùm viget copiis, præftat utenti alienis precariifque. Quamquam quid ego ancipitem me profiteor, cùm in noftra pofitum fit voluntate, mœrorem abijcere, atque ita rem communem conftituere ut, hofti reddita vice calamitatum, nobis uno moveri gaudii fenfu tandem liceat? Id autem quid rei fit, facilè expedio. Extremo conatu fractus ille, debilior in dies evadit. Nos temperantia quadam vividi adhuc fumus. Cur igitur in laffum fatigatumque, majori annitentes robore, non irruimus? Aut quam in fpem refervamus cohibitas adhuc vires, cùm, quæ modò fe offert, major adeffe nequeat? Fateor prudentis effe, non omnes

nes initio contendere potentiæ nervos ac retinere adversùs incertos fortunæ casus certum subsidium. Nemo tamen inertiæ non damnabitur, qui, si posset hostem conterere, sibi consilio nimis cauto moderatus fuerit. Hanc a nobis avertere ignominiæ notam, non ad famam solùm nominis, sed ad rei summam prorsus interest. Concidit quippe animus nacto, bene agendi oblatam occasionem culpa sua non tenuisse; & cum animo flaccescunt vires, ubi præcipue, ut in fœderibus, non una mente impelluntur. Mare hostili classe infestum atque ærumnosum habuimus? Eo rursus navium numero peragrandum est, ut expeditum ubique nostræ genti commercium præbeat, hosti clausum; & si audeat iste acie congredi, nunc pariter expertus discat, quid re nautica possit Batavus Britannusque. Terrestribus copiis quidpiam nobis intulit damni? Ii modò exercitus conscribendi, qui undique in eum irrumpere atque in Imperii viscera penetrare valeant. Solicitat promissis Fœderatorum nostrorum animos? Curata ipsis uberiori ope ac præmiis, fidem ne fallant, præstandum est. In hanc sententiam ut rempublicam auctoritate vestra inducatis, vehementer moneo, præcoque consilio meique prærogativa muneris, quod apud ipsam gero. Durum fortasse videri poterit, in id nova indicere tributa, vectigaliaque augere. 1693.

1693. At cogitanti, lentum bellum plus etiam pecuniæ ac militum devoraturum; gratum erit, accelerata liberalitate, celerius atque ingenti lucro extinxiſse incertæ fortunæ tædium, finemque bellicæ ſolicitudini, quæ immedicabili morſu lacerat animos, impoſuiſſe. Non dubium erat, quin Regis oratio motura foret Senatum ad ſuadendum, Rempublicam ad amplectendum, quicquid ille in medium protuliſset. Jam enim tacentibus, qui Vilhelmum, veluti gravem libero populo, diu fuerant inſectati; prorſus ille apud ipſos dominabatur admiratione fœlicitatis, inditoque metu ne deſerti præcipites agerentur. Et movit quidem, auctis illico ingenti niſu terra marique viribus. Batavis in ſuam ſententiam adductis, Rex ineunte hyeme in Angliam navigavit, anxius quo vultu a civibus exciperetur, qui foris tot navium jactura, domi novis in dies tributis exagitati, a queſtibus non temperabant. At brevi animum collegit, Londinum ingreſſus ingenti plauſu conſpicatuſque, magiſtratus populareſque de ipſius reditu plurimum gratulari. Percrebuerat rumor, nihil non ab illo tentatum artis, induſtriæ, ſtrenuitatis, nec vitæ periculum primos inter ordines pugnantem reformidaſſe, quominus Neervindenſi prælio hoſtem vinceret. Cunctis proinde ſuccurrebat eximia, qua ſe geſserat, virtus, eaque ſplendore ſuo per-

Ei Senatus annuit de urgendo bello.

In Angliam regreſſus plauſu excipitur.

perſtringens animorum aciem inobſcurabat ærumnarum dolorem, atque incendebat ad belli diutius incommoda toleranda; facta ſpe, cum uſuris ea denique ſartum iri. Et Rex ut hanc augeret civium erga ſe benevolentiam, ſibi non ſane defuit. Comperto, Schovelum, Killegreum, Lavalum ſuperiori æſtate maris præfectos, tenuiſse cauſam, quam de neglecta hoſtili claſse proditiſque propterea tot onerariis in Concilio dixerant; male autem illos ubique ut hujuſce reos calamitatis audire, præfectura aliiſque muneribus abire juſſit, fatus: infœlici eorum opera nuſquam in poſterum ſe uſurum. Fœlicioris quoque in Galliam deſcenſus, quin & debellandi, ſi pecuniam ad amplificandas vires decernerent, fiduciam addebat affirmabatque ſocios non minori conatu, ſe præeunte ſtudia in id ſua navaturos. Ex hac Regis ſententia, & quia, timore an laſſitudine, haud parum contentionem remiſerat adverſa factio, majoribus comitiis decretum illi ſubſidiarium hoc anno tributum ad ſeptuagies quinquies centena ſcutatorum millia dataque libertas ſupplendi tredecim peditum, ſeptem equitum millibus ſuas copias, quas ita ſuppletas ad octogies millies augeret; terra marique, in Belgio, in Britannia atque Italia ſtipendia merituras. Magnam Vilhelmo Regi curam abſtulit Concilii decretum urgendi belli, quod ipſe pari

1693.

Infelices claſſis ductores dimittit populo gratificaturus.

Maxima pecunia ad bellum ei decernitur.

1693. pari ſolicitudine proſequutus, terreſtres navaleſque apparatus accreſcere nullaque mora expediri juſſit. Deinde monſtrato ſuæ gentis fervore, ut pergerent alacriter vel ipſi majori vi tractare arma, Fœderatos impulit. Et forte per eos dies Badenſium Princeps invitatus ad eum venerat, obtuleratque ſpeciem ineundi ſecum conſilii, quo maxime ad hoſtis perniciem proximo Vere inſurgerent. Nemo proinde contentis nervis non ad bellum exarſerat, incenſus ſpe non eos fruſtra contentum iri; omneſque ubique ancipitis animi conſederant fluctus. Vilhelmus Allobrogum Ducem præ ceteris confirmare aggreſſus, cum eo convenit, ſe ad pactam jam ante pecuniam centum quotannis quinquaginta ſcutatorum millia, quorum trientem Batavi penderent, additurum; tria Brandeburgenſium millia, qui ſtatim in Italiam traducerentur, ære ſuo conducturum; Rovigni Marchionem, Calvinianorum in Gallia, priuſquam exularet, facilè principem, nunc Gallovidiæ, poſtquam profugus in Angliam diſceſſerat, dynaſtam cum grandi argenti pondere mox affuturum, qui Cottiarum incolas vallium, finitimæque Galliæ quotquot nunquam animo Calviniana dogmata depoſuerant, centuriatos ad bellum conſcriberet, imperio moderaretur. Et lætus quidem Victorius Amadeus hanc ſibi novam inſignem opem ingenii ſoler-

De belli agendi ratione agit cum Badenſium Principe in Angliam appulſo.

Nova auxilia ſpondet Allobr. Duci.

solertia comparasse, non amplius distulit ambages mittere, palam repudiatis Gallorum conditionibus, licèt per eos dies auctis, ut fama fuit, ab Salutiarum Antistite, quem Catinatius in Aulam miserat, alia causatum. Nimis enim e re sua Ludovicus Rex putabat esse, Italico exonerari bello, gravi prætermodum ac sumptuoso, plenoque solicitudinis ob incertos suæ per id locorum gentis animos, quos plurimùm prava dudum religio infecerat; ac dubium erat, quid mente agitarent, præsertim cùm ad defectionem impiasque repetendas opiniones illicerentur, data per idem tempus ab Allobroge venia Calvini sectæ, ut libere in valles Cottias rediret, unde octo ante annos, ne in propinquas regiones contagione serperet, exulare jusserat Ludovici Regis admonitu, cui repugnare non potuisse, publico edicto professus est: nunc autem Pontifici maximo tantum istud ab Catholica religione vulnus deprecanti, conatoque avertere sacrorum jure, firmiter obstitit; hujusmodi facilitate (quam tametsi communi fœderi fructuosam, Cæsar ipse detestabilem dixit) sibi magis Britannorum Batavorumque auxilia demeriturus. Pacis ubique deleta spe, vixdum hyems discesserat, arma undique concrepuere; primaque eorum strepitu Catalonia hoc anno reboavit. Prætor ibi Escalonæ Dux equitum sena millia, dena peditum contraxerat,

1693.

Isque reijcit omnem a Gallis pacis reconciliandæ conditionem.

Permittit Calvinianis suas in sedes reditũ ad valles Cottias.

Quid hoc anno gestum in Catalonia.

1693. rat, dextramque obſederat Sambrocæ ripam, aditu hoſtes, cùm congredi acie non poſſet numero longe impar, intercluſurus. Illuc Noallius legatus Vere adulto Gallicas cum quadraginta machinarum apparatu copias adduxit. Par Hiſpanis equitatu erat, ſed peditatu ipſorum numerum duplicabat. Diſpoſitis tormentis hoſtem ulteriori ripa ſubmovere aggreſſus, invicem jaculando diem conſumpſit, majori tamen illata quàm accepta clade; quippe Hiſpani duodevicenis tantùm vicem reddebant. Vadum illic, objectis quoque hoſtium aggeribus, tentare haudquaquam auſus, noctu adverſo amne ire ſtatuit, ratus aliquà ſtationibus nudatum, aut humiliori fluentem alveo daturum iter. Progredientem ſequebatur Hiſpanus ex adverſa ripa. Quocirca Noallius, cùm luce prima perveniſset prope Torruellas, ubi latius diffuſus amnis ſe deprimebat, munito aliquot machinis, hoſtem laceraturis, tranſitu, Chaſſeronum prolegato cum equitum ſagittariorum legione, cui a tergo hærebant plures pyrochitrophorum cohortes, & altera ſagittariorum turma Sylveſtropolis dynaſta duce, aquam ingredi ac tranare jubet. Tranſmittentibus Hiſpanorum equitatus in ipſo margine obviam procedit, primaque utrinque ſolùm contorta jacula. Nam Galli periculo incenſi ad audendum, ſe ſe ferocius in ripam effundentes,

tes, frustra obnitentibus Hispanis cœpere agmini locum. Iterata illic tela, diuque inter equites efferatum prælium, dum sensim novis legionibus acies accresceret. Interea & pedites vado superato, suosque digesti in ordines cum hostili peditatu ad manus venerant. Parum inter ipsos obduruit pugna, jussis Hispanis, qui frequentioribus telis configebantur, circumflectere post suos equites agmen ac se referre. Quod non ita fœliciter gestum est, ut duo millia ab aliis divulsa hostis non interceperit. Reliquis maturantibus iter saluti præsidioque fuerunt equites, qui agmen cogebant, quique sæpius, dum irent, versa fronte missisque jaculis retudere Gallorum impetum. Hos diu insequutos difficilis demum cohibuit saltus; quem ingredi Noallius tutum nequaquam duxit, fauces & juga insidentibus prætoris jussu primis, qui illac iter maturaverant, peditum cohortibus. Hispanorum plus mille in ea pugna desiderati; Gallorum trecenti. Illorum inter occisos memorandi Comes Penæ Rubiæ ac Ferdinandus Toletus; inter captivos Grignii Marchio alarum præfectus. Horum militari gradu illustris mortem obiit Salles instructor exercitus, lethali vulnere affecti Burgus, Druyus, Baudumanus. Capta Hispanorum impedimenta signaque fenadena. Ubi primùm se se ab hoste expedivit ac tuto stetit loco Escalonæ Dux, peditum

1693.

Pugna repulsi Hispani.

1693. ditum legionibus in propinquas munitionés dimiſſis, præcipueque Barcinonis, Gerundæ, Palami præſidium auxit; ſecum interius retraxit equites, rei ex occaſione gerendæ moderaturus. Nec mora Noallius victorem exercitum Palamum duxit. Is ſupra collem pelago imminet, ubi parvo ſinu fidam navibus ſtationem aperit. Duobus roſtratis propugnaculis ab terra munitur, rotundis alibi. Proxime levioris momenti caſtellum ſurgit. Duodevicenis bombardis ac trium fere millium præſidio, cui præerat Joſeph Avellaneda, ſubeuntibus minitabatur. Noallius admotis legionibus ad utrumque propugnaculum duci vineas, ſimulque ipſorum verberari frontes curulibus machinis, pyrolmis tecta domoſque juſſit. Ferociter primò ab oppidanis majoribus minoribuſque telis reſponſum; ſemel quoque ab erumpentibus non parum terroris inditum. Sed citò agger prope foſſam productus vices mutavit. Illinc ſexcenti pyrochitrophori ac totidem ſagittarii dimiſſis equis prodeuntes, in margine pugnam conſeruere; qua præſidiarii pulſi fugatique non prius cohibuere gradum, quàm per apertos ariete muros intra oppidum recepti. Verùm tergo adhærentes Galli ac ſimul ingreſſi perculſos improviſo metu, quos primo impetu obvios habuere, nullo diſcrimine ac vix non impunè contrucidarunt. Treceuti eo tumultu neci

Galli Palamum invadunt.

Capiuntque.

neci dati, bis totidem abjectis armis se dedidere. Gallorum haud amplius centum interempti. Interea duo fere armatorum millia in arcem cum ipso præfecto se concluserant, ubi atrociter ollis incendiariis, ut in angusto loco dilacerati, cum biduo se tenuissent, in hostium ditionem se tradere coacti sunt. Mille quadringenti in Galliam traducti. Quingentis vulnere aut morbo affectis, Gerundam ut irent, permissum accepta fide, se, postquam convaluissent, redituros. Palamo capto ac direpto, Noallius Barcinonem provinciæ caput oppugnare in animo habuit. Deterritus autem ingenti, quo tenebatur, præsidio, & adventante hostium classe, quæ mare ferendis auxiliis explicatura esset, infesta signa Gerundam vertit. Jacet hæc ad dexteram Sambrucæ amnis ripam. Qua parte alluitur, nudo tantum protegitur muro, satis tuta ipso fluvio. Illinc per gyrum ductam loricam quinque rostrata dividunt propugnacula robustis mœnibus, at nullo interiori fultis aggere. Circumpositos asperosque in proximo colles tria insident castella, quæ tutum aditum ad mœnia prohibent. Carolus Suerus, qui decem ante annos illam fœliciter propugnaverat, summum inibi armorum imperium adhuc gerebat. Milites integra valetudine ad quatuor millia quingentos cum duabus quadragenisque machinis præsidio erant, faciebantque spem,

1694.

Gerūdam petūnt, eaque describitur.

1694. se nunc etiam infelici eventu petitum iri. Sed spes fefellit. Noallius præmisso Sylvestropolis dynastæ cum levi equitatu circumjacentem regionem occupandam attribuit. Adveniens ipse cum reliquo exercitu castello primùm, quod a propinquo Capucinorum cœnobio nomen habet, vim parat. Catapultæ ad evertenda mœnia vel per diruptas rupes eò traductæ; quæ dum expediuntur, præsidium in urbem, deserto loco, se recipit. Dein castellum alterum, quod Comitis Stabuli nuncupatur, verberari cœptum. Dum autem, ut per dirutam unius propugnaculi frontem se se immittat, hostis in aciem instruitur, Hispani abductis bombardis, impetu non expectato, pedem & ipsi ad oppidum referunt. Mox intempestivi formidolosique discessus pudore ad illud recuperandum regressi, non sine cæde repelluntur. Expedita circum ora, tormenta pyrolinique in muros ac tecta urbis vim illico suam vertunt. Excitata alicubi incendia, sed compressa, non multùm ad rei summam profecere. Strata verò duplici loco mœnia nudatusque aditus tantum præsidiariis pavoris, recenti Palamensis occidionis memoria, iniecerunt ut plures abjectis armis torperent, insolenter alii obstrepentes præfectorum imperio, belli obire munera detrectarent. Adeo ut Suerus vix semel paucos ad erumpendum impellere potis fuerit; qui tamen pro-

Atque oppugnatio.

propulsi commilitonum auxere formidinem, obstinaruntque contumacium animos. Itaque deditionis, ne durius, si obniti pergeret, transigendum cum hoste foret, octo haud amplius dies tolerata obsidione, signum proposuit. Conventum, ut omnes liberi armatique abirent, sed equites dimissis equis, præter Ordinum ductores, quibus honoris causa centum denisque uti permissum est. In Aragoniam per Galliæ fines deducti sunt, jussique reliquum anni otio traducere. Gerunda nullo fere negotio in ditionem redacta, explicataque Cathaloniæ parte, Noallio totius provinciæ prætura ab Ludovico rege datur proregis titulo. Accepit ille solenni cæremonia mandatum munus. Quod sane ludicrum, præeunte nimis armorum eventum desiderio, visum est. Inde latius dilatando imperio muniendoque ad Barcinonem itinere, Ostarlicum progressus, confestim oppidum nudo circumseptum muro in potestate habuit, septingentis præsidiariis in arcem transgressis. Hæc fastigiatæ insidet rupi undique prope abscissæ; & qua parte adiri potest, septemplicem, sed humilem mœnium loricam objicit: Forte duo pyrochitrophori, dum quatuor curulia tormenta ad aperiendam viam adducuntur, clam infero succedunt muro connisique manibus pedibusque se se extulerunt adeo, ut intus militum alios tumultuantes, se alios in ulterius

1694.

Facta Gallis deditio, & quibus conditionibus.

Noallius ab Ludovico Rege Cathaloniæ prætura donatur.

Ostarlicum ab Gallis in potestatem redigitur.

1694. rius claustrum referentes conspicarentur. Propinquæ stationi rem indicant. Datur & reliquis signum. Accurrunt tacito gressu nulloque impedimento prima, quæ parum supra caput extabant, scandunt mœnia. Ad inopinatum hostium conspectum fit illico Hispanorum fuga; & Galli recedentibus immixti usque ad ultimum septum pervadunt, quod palis circummunitum moram subeuntibus injecit. Verùm cùm loci angustia tot præsidiarios vix caperet, hique timerent sibi ab ollàrum tempestate, in hostium fidem se permisere. Arci subitarii operis quidpiam ab Gallis additum, eaque cum valido præsidio tutanda Reinterio protribuno datur. Noallius Blandam, quæ non procul surgebat in maris litore, signa promovit, ibique illectus regionis ubertate locum æstivis cœpit. Barcino prope ante oculos erat, armorumque prosperitas, ut illam tentaret, blandiebatur. Quamquam enim Fœderatorum classem mox affuturam non dubitaret, ei tamen Tourvillum Gallicæ prætorem obniti posse, manebat spes. Hic Veris initio cum duodeviginti bellicis navibus Telone solverat, acceperatque prope Aphrodisium promontorium quatuor ac tricenas alias, ex oceano ab Castri Renaldi Comite sibi adductas; & ad ipsum pervenerat cum una & viginti quinqueremibus Noallius frater inter equites Hierosolymitanos magna cruce decorus.

Ma-

Maritimum quippe robur hoc anno in Catha- 1694.
loniam intendere Ludovicus rex constituerat, ut terra marique in discrimen adducta, Hispanorum flecteret ad pacem animos; præsertim cùm ab oceano minus sibi cavendum, quietis per ea loca metu aut voluntate dubiæ religionis populis, munitoque litore, expertus didicisset. Quod ut Hispanis cognitum, Vilhelmum regem, quid ad communem salutem in eo confringendo Gallorum consilio momenti foret, admonuerant rogaverantque ut validissima classe Ibericum explicaret mare; quo impedito, nullam sibi tutam maritimarum urbium præstari posse. Inde verò si hostis arma interius inferret, paciscendum vel iniquis conditionibus sibi fore. Dum enim publica res agitur, adversùs mediocres ærumnas obfirmare animum, virtutis esse; vitio dari, si stolida magnanimitate gravioribus, cum devitari queant, obviam itur. Moverat Britannicum parata Hispanis pernicies, cui propulsandæ eò faciliorem se præbuit, quò non aliter civium querimonias ob tantam superiori anno mercium jacturam sedaturus erat, nisi Asiatica negotiatione penitus restituta. Itaque Russelum, cui dudum classis imperium mandaverat, ingredi Herculeum fretum acceptisque socialibus auxiliis metum illic ab Hispanis vertere in hostes imperat. Ille cum duodevicenis bellicis navibus, compluribus

Gallica classis Hispano litori minitatur.

A Fœderatorum classe damnum inferre impeditur.

1694. pluribusque actuariis e Britannia profectus, ad Cotem Mauritaniæ promontorium, quicquid navium reliquum Gadibus convenerat, secum accipit. Præter ingentem onerariarum vim & novem incendiarias, erant ad belli usum instructæ Britannicæ tres & quadraginta, Batavæ septem supra viginti Calembergio proprætore duce, Hispanienses decem, quibus Papachinus præfectus imperitabat. Nam quatuor, quas reliquas armaverant, per eos dies perierant, ab ipsis nautis incensæ prope ostium Ebri amnis, quò Barcinone redeuntes fugerant, ne ab Gallici proprætoris classe, quam forte obviam habuerant, abducerentur. Cum hoc navium robore, non ita multo post aucto una & viginti Hispanis quinqueremibus, Russelus media æstate Barcinonem pervenit. Jam antea e propinquo sinu discesserat reliqueratque vacuum mare classis Gallica longe minor, navesque in Telonis portum, quinqueremes in Massiliæ se se abdiderant, munierantque ostia adversus hostiles impetus novis machinis. Classiariorum partem, additis mille octingentis legionariis, sexcentis equitibus sagittariis Grignani Comes armorum præfectus, plures in stationes divisam inter utrumque portum excubare jusserat, hostem, si quà descendere aggrederetur, propulsuram. Non enim tantum ejus navale robur otiari velle, opinio erat; tenuitque irrup-

Et in portum se recipit.

Galli vicissim suo mediterranei maris litori timent.

ruptionis ingens metus ea litora, usquedum, quibus hostis polleret viribus, ignotum fuit. Comperto autem, parum milite instructas naves (non enim is affluere ad omnia poterat), tresque insuper legiones, quas Hispani Malaca deductas dederant, abesse, Barcinonem ingressas; Galli nihil sibi in Provinciæ tractu timendum rati, aliquid in Catalonia, mutato priori consilio, agendum statuerunt. Egosa munitum oppidum adhuc erat, quæ Cerretaniam, jam antea domitam, ab redacta dudum in Gallicam ditionem ora divideret, & unde provinciales montani, gens armis valida, longius vagati, finitimam regionem damno ac terrore implerent. Hanc Noallius expugnandam eligit, quamquam difficilem. Nam prærupto sedet tumulo, ab uno tantum latere aditum aperiente, ubi in operis cornuti modum duo prætendit semipropugnacula interiacente parma, cunctaque clauduntur fossa viaque tecta & promurali aggere, quatuor intersepto levioribus munimentis. Oppido impendet jugum alterum castello munitum, ne hostis figere suspecto adeo in loco pedem possit. Hic ducenti, mille in oppido, Antonio Villeiovillo præfecto, aderant præsidiarii. Id erat anni tempus, eaque montium asperitas, ut occidente jam sidere Vergiliarum illic hyems instaret, nec diu aperto cœlo duraturus miles videretur. Quocirca Noal-

1694.

Metu liberi in Cathalonia bellum urgent.

Egosam invadunt.

Ejus munitio ac situs.

Noallius ad accelerandum facinus non vineis tantùm oppugnare objectas munitiones, quas longam facturas moram verebatur; sed insueto calle peruadere in imminentem verticem, unde interiora oppidi telis infesta redderet, consilium cœpit. Longævallis Marchioni dat negotium, ut peditum bis mille per confragosos montium vertices, quà nemo agmen ducendum suspicaretur, Egosam ducat, molliatque simul curulibus tormentis viam. Hanc ille sex diebus aperuit difficili conatu, adductosque secum milites catapultasque edito imposuit jugo, unde intra mœnia conspectus erat. Rebus ita comparatis, legatus advenit cum tribus millibus sexcentis peditibus nongentumque equitum ala. Vallum extemplo ad primas munitiones promoveri jussum, expeditique duodeviceni arietes ac duo pyrolmi terribili, ut inter montium amfractus, boatu muros ac tecta verberabant. Res tamen suo ipsa molimine in longum extrahebatur, & nondum mœnia ruinam fecerant. At cum paterent præsidiarii micantibus ex alto majoribus tormentis, eorumque, dum discurrerent aut ad propugnacula excubarent, strages fieret, non plus triduo tulere tantum discrimen. Facta deditione, captivi ademptis armis, præfecti cum sua re familiari, milites cum singulis vestimentis in Galliam transuehuntur. Ad primum periclitantis

In Gallorum potestatem venit.

Ego-

Egosæ nuntium Escalonius prætor illinc hostem abstrahere duplici via studuit. Aliquot legionariorum cohortes Preavæ dynastæ celeri gradu submisit, quibus montanorum globo conjunctis iter sibi ad ferendam obsessis opem aperiret, & quà posset, hostibus incommodaret. Appropinquanti agmen suorum objecit Sylvestropolis dominus Noallii monitu, & Hispanus ad eorum conspectum aciem instruxit, veluti consertis manibus decreturus. Mox tamen levi perculsus cæde pedem retulit, haudquaquam in apertum prodire deinceps ausus. Tentatum ab Escalonio, an Ostarlico oppugnando illuc ab Egosâ Gallos averteret; sin minus eo capto, alterius amissæ detrimentum sarciret ac redderet damni vicem. Rem Constantii Marchio aggredi jussus quatuor millia peditum, mille quingentos equites cum decem curulibus machinis & quatuor pyrolmis oppido admovit. Facta celeriter mœnium strage, vis ad perrumpendum parabatur, cùm Reinterius præfectus, certum discrimen declinaturus, de deditione agere instituit. Transigendo moram faciebat negata præsidiariis ab Hispano libere abeundi venia. Dum altercantur, montanorum quidam clam oppidum ingressus nuntium attulit ab Noallio: properare obsessis opem, & illum cum reliquis copiis, Egosa jam victa, mox affuturum. Hæc spes litem diremit, ab-

1694.

Hispani Ostarlicũ oppugnant.

Adventante ope, recedunt.

1694. nuentibus Gallis loco cedere, quamquam Escalonæ Dux eò profectus gnarusque adventantis auxilii, de conditionum severitate, quantum vellent, remitteret. Res itaque ad arma rediit, instaurataque verberatio ad molliendum aggressuris iter eò ferociùs, quò interrupta & citò desitura. Non plus biduum oppugnationi Hispanienses addidere; nam hostis accelerabat. Primus in viam se dederat Grignii Marchio, ducebatque collectos, ut Noallius imperaverat, ex æstivis milites. Quo comperto, nihil moratus Escalonæ Dux Barcinonem suos reduxit, increpita suorum pervicacia, qua duriores imponere se dedentibus leges conati, recuperandi Ostarlici opportunitatem corrupissent. Adeo in re gravi dubiæque aleæ, ubi, quæ satis, habeas, nimia ne quærito. Ex hac armorum fœlicitate Gallis iterum tentandæ Barcinonis in mentem venit, faciebatque superandæ spem redux ad Herculeum fretum Fœderatorum classis. Quamobrem sua Tourvillus denuo ornata maximisque commeatibus ad alendas quoque terrestres copias instructa, mare tenuit in Cataloniam navigaturus; quò cum decem navibus quina millia peditum, qui hactenus ab hostium descensu ea litora custodierant, supplementum præmiserat. Verùm sæva multos dies abreptus tempestate, Telonem ad reficiendas colligendasque naves redire coactus fuit.

Galli de Barcinone oppugnanda agitant.

fuit. Datum proinde Hiſpanis tempus ad ejus urbis periculum revocandi ſocialem claſſem. Nec Ruſſelus, quin ſtatim eò iter ſuſciperet, moram interpoſuit, interdicto iterum Gallis pelago. Tourvillus enim ſpeculatoriis, quas idcirco vagari juſſerat, hoſtem circumegiſſe proras expiſcatus, portu ſe tenuit. Nec ita multo poſt cognito, illum Gadibus hibernaturum (id quippe rex Carolus a Britannis Bataviſque impetraverat, ejus plurimùm commotis diſcrimine, ſi mare, in propinquos portus ſubductis hoſtium navibus, per hyemem aperiretur) Telone ipſe quoque hyemare ſtatuit; in oceanum claſſis partem dimittere, ut deſtinaverat, tutum non arbitratus. Noallius per devicta loca legiones, cum hyems jam incœpiſſet, in hiberna diviſit, fruſtra cunctatus, an forte quiſquam vel civium levitate vel ob promiſſas turbarum machinatoribus immunitates fieret in provincia motus. Huic præpediendo Carolus rex occurrerat, remiſſo civibus per decem annos tributo: fracta penitus rebellandi cupidine, ſi capias animos beneficiis. Hic per id temporis in Hiſpania rerum ſtatus. In Italia fœliciorem Fœderatis eventum, præponderantibus eorumdem viribus, bellum portendere videbatur. Leganeſius Mediolani prætor duodecim armatorum millia centuriaverat. Cæſar ſeptem millium ſupplemento ad octo & decem millia

1694.

Redeunte illuc Fœderatorum claſſe, in hiberna diſcedunt.

Quid hoc anno in Italia geſtum

D 2 ſuas

1694. ſuas ibi copias auxerat. Pari numero conſtabat Sabaudi exercitus. Tria Brandeburgenſium millia conducta Britannico ære advenerant, quo & Gallovidiæ dynaſta magnum habuerat Calvinianorum delectum per Cottias alpes. Galli, qui urgendo Hiſpanienſi bello ſuum per ea loca robur extenuaverant, ſoliciti expectabant, quò dira procella impetum datura foret, in pluresque partiti globos obſtruxerant aditus, unde maxime patebat Gallia. Ingenti manu ſuppleverant Seguſii Pinaroliique præſidia. Hæc inter oppida Catinatius in Feneſtellæ tumulo, ad opem utrique ferendam opportuno, ſtativa poſuerat. In Subalpina Barcinonenſi valle impeditiora loca Larræus inſederat, & Vindocini Dux maritimas ad Nicæam alpes cum quinque peditum, totidem equitum millibus tutabatur; qua parte irrupturos hoſtes, plurimus erat metus, dum ſimul claſſiarius miles in terram illic evadens robur adderet irrumpentibus. Copiis ita diſtributis, ſe ſatis adversùs repentinos impetus munierant. Cùm tamen illæ facilè in unum contrahi nequaquam poſſent, nemo dubitabat, Fœderatos, integro ſi ſuarum virium molimine in partem aliquam incubuiſſent, libere quò vellent perrupturos. Sed ab hujuſmodi conſilio ut ſe ſe abſtinerent, contigit. Cur autem abſtinuerint, æque in admiratione atque in obſcuro manſit. Id ex opinio-

nionum inter majores duces varietate, quam plerumque segnities consequitur, accidisse, vulgò creditum. Non enim ambigebatur, dum sæpius inter se antea sermones de re gerenda conseruissent, e sua quemque utilitate, sententiis discrepantes, alios alia proposuisse; Leganesium Casalis oppugnationem, qua Mediolanensi agro securitas; Gallovidium Pinarolii, unde Cottiensibus Calvinianis quies; Allobrogum Ducem de repetenda Gallia disseruisse; Cæsarianorum præfectos, quibus ferendi suffragii jus erat, Principem Eugenium, Palfium, Breinerium aliena potius infirmasse consilia, quàm certi quidquam protulisse. At reipublicæ periti, negotium altiùs investigantes, taciti reputarunt, ipsorum neminem præter Gallovidium, qui parum ceteris, exigui momenti Cottiensium opem expertis, pensi erat, suas in incertam aleam, ne attererentur, periclitari vires ex animo voluisse; haud ignaros, quid illæ duæ valerent arces munitissimæ, & quo sibi stetisset fructu suscepta superiori anno trans alpes expeditio; quam fœliciorem intra Provinciæ fines ominari modò e sociali classe nequaquam liceret, exhausta milite & mox in oceanum reditura. Nam Cæsariani commodam opulentamque in Italia sedem adepti, ejus retinendæ cupidi, nec aliter quàm validis copiis retineri posse arbitrati; quas ibi non

1694.

Fœderatorum Duces sententiis de re gerenda diffident.

Quæ occulta fuerint ipsorum diffidentiũ consilia.

1694. non sine ingenti difficultate paraverant, in discrimen oblatas debilitare, occultis consiliis abnutabant, veriti sibi, si minus viguissent, a popularibus durius per hyemem divexatis; diffidentesque alienata ab se Italicorum Principum voluntate ob acerbius imperatam pecuniam atque alimenta, nullumque adhibitum, jure an injuria, e sacro an e civili patrimonio, in iisdem exigendis modum. Et gravior eosdem Principes dudum incesserat cura, quidpiam de sua auctoritate ex Germanorum arbitrio imminutum iri, postquam sub Veris initium Palfius cum trecentis armatis Mantuam profectus, hos improvisò in urbem inducere conatus fuerat; elusus quidem ab excubitoribus, qui milites ingredi prohibuerant. Sed erat in oculis tentatum facinus, nec minus in ore severitas, qua Palfius adhibito secum Abbate Rainoldo Hispaniæ Regis oratore, Carolum Ducem terrendo minitandoque adegerat, quintum decimum intra diem Dupræo Ludovici regis legato, &, qui primas ea in Aula gerebant, Marchioni Amaroto, Comiti Canossæ, Josepho Varano, Cæsari suspectis, commeatum dare. Exarserat ille ad inopinatum imperium; sed frustra implorata provincialium Principum fide, iisque admonitis, injuriam ad se modò unum, ad cunctos exemplum pertinere, paruerat dicto, hæserat.

Mantuæ dux Hispanorũ voluntati morem gerere cogitur: quæ in re, & quomodo.

feratque animo acerbum vulnus, quod & ceteris, ex alterius luctu an pari suæ dignitatis discrimine, dolorem inufferat. Leganesius haud dissimile studium tacito servabat animo suas, durum aliquod aggressus facinus, non conterendi vires; quibus infractis, rebatur, nihil non Mediolanensi Imperio a Cæsarianis, ut in proxima hæreditate, timendum esse. Et Allobrogum Duci malorum experientia non parum compresserat juveniles spiritus, nimis hactenus gloriæ ac vindictæ cupiditate in quicquid arduum nullo ancipitis fortunæ metu inclinatos; præsertim cùm ab sociis ingenti sublevatus pecunia minus ægre ferret acceptas ærumnas, quas etiam, quandocumque vellet, componenda pace speraret obliterandas. Igitur, cùm nemo festinandum adhortaretur, non priusquam æstas incœpisset, ex hibernis educti milites prope Augustam Taurinorum ad signa coiere. Datæ Gesuinto prolegato quinque ac triginta Hispaniensium centuriæ, viginti Helvetiorum, Germanorum quindecim, quibus Casali, ne quid acciperet commeatuum, fauces obstringeret; & eas quidem penitus interclusit, dispositis diligentius, quàm per hyemem, stationibus atque in potestatem redacta, vixdum ariete apertis mœnibus, nuncupata ab D. Georgio munitione, qua una iter in oppidum recludebatur. Exercitus Pinarolium versus

1694.

Fœderati Casale obsident.

1694. sus movit castra: pluresque dies per circumpo-
sita loca se circumegit; dum interim legiones
aliquot Demontium progressæ, quà in Cottias
æque ac in maritimas alpes via panditur, du-
bium hostem fecerunt, utra parte sibi caven-
dum esset. Non multùm illic moratus, recol-
lectisque copiis Segusii vallem ad dextram
petiit, atque oppido minitari visus est. Dein-
de ad Padum amnem traductus, Casalis op-
pugnandi suspicionem intulit. Consumpta de-
nique itineribus æstate atque autumni parte,
cùm iis nondum senescerét, affligarentque mor-
bi militum corpora, de hibernis iterum agi-
tari cœptum. Cuncti dare iis locum abnue-
bant, civium quisque suorum inopiam expi-
latamque regionem causati. Id tamen, quod
usu fuerat superioribus annis monstratum (ut
ubi ancipiti deliberatione fluctuat consilium)
tenuit. Quotquot Sabaudo merebant, subalpi-
na recepit ora; quotquot Hispano, Mediola-
nensis. Ætruria Liguriaque moderatiori quàm
antea pecunia molestiam redemere. Cæsariani
graves præter modum fuerunt Mantuæ Duci.
Parmensem ac Mutinensem tractum non adeo,
ut hactenus, prægravarunt; seu quid ferre pos-
set oneris, experti; seu conciliandis eorum
Principum animis, qui per id prope tempus
tractanda susceperant gubernacula, Rinaldus
Estensis Cardinalis in demortui Francisci, fra-
tre

Circumductio inaniter exercitu in hiberna dividuntur.

tre suo geniti locum; Franciscus Farnesius in Rainutii patris. Invaluit rumor, illinc, si commeatus defecissent, in Bononiensem ac Ferrariensem agrum progressuros. Nec tacuit Pontifex Maximus, redarguitque apud Cæsarem increbrescentem famam; qui questus, malignis vocibus religionem suam dilacerari; nihil hujusmodi eventurum, in se recepit. Innocentius tamen, duum millium delectu habito, diligentius Imperii fines custodiri jussit; nunquam non suspecta militum inopia, & firmiore fide, impunè si frangi nequeat. Catinatius auctis ubique arcium subalpinarum præsidiis, reliquas copias, priusquam alpium itinera nives clauderent, in Allobroges finitimasque Galliæ provincias hyematum dimisit, solutus metu, quo e prævalidis hostium viribus diu per æstatem solicitatus fuerat. Sub idem tempus, quo ita bellum in Italia, otiantibus prope armis, ducitur; majore tumultu, sed nulla isthic quoque re memorabili gesta, circa Rhenum intonuit. Ad Gallorum exercitum, Lorgesio legato supremo duce, septemdecim equitum, octo ac viginti millia peditum convenerant. Germani militum numero, virium non tamen robore superabant. Ut suas quisque frequentiori delectu augeret, ejus gentis principum alios admonuerat superioris anni clades, alios imminentis pavor, cunctos labefactatæ provinciæ pudor;

1694.

Cautum ne in Pontificia ditione hyement.

Galli pariter hyematum pergunt.

Maximus utrinque ad Rhenum belli apparatus.

1694. dor; & Cæsar, demerendo Misnienſi Octoviro, qui ſe ſuas copias ab Rheno abducturum minitabatur, ni Schoeningius earundem præfectus in libertatem restitueretur; eò descenderat, ut ipſum, quamquam proditionis ſuſpectum, liberum remitteret; pactus, nullo militari adversùs Gallos munere defuncturum; & ab Octoviro auctum iri ſex millibus copias, quæ jam illic ei merebant; dum tamen novo agmini trecenta ſcutatorum millia in ſtipendium commodaque hiberna curata forent. Hæc priuſquam Vere medio Joannes Georgius Octovir vita decederet, conſtituta, Federico Auguſto in fratris locum ſuffecto, facilem & gratum exitum habuere. Quocirca militum ſexagena fere millia convenerant ad Rheni ripam; ſed pluribus diſtracta locis, nec libero unius arbitrio moderanda, minoris quàm pro inſito robore cenſebantur. Quamquam enim penes Ludovicum Badenſium Principem cum imperatoris nomine ſumma reſidebat armorum poteſtas, ea ipſi modice utendum erat, obſtricto auxiliarium ducum ſententiis, qui negare nullo pœnæ metu obſequium poterant. Quod cùm Lorgeſius non ignoraret, Rhenum vixdum æſtas appetebat, ad Philippoburgum tranſmiſit, novis ærumnis calamitoſam Palatinatus oram cumulaturus. Caſtris prope Grabenum poſitis, late circumpoſitæ regioni vaſtitatem intulit; diraque

Cæſar dimiſſo Scoeningio demulcet Miſnienſem Octovirum.

Cui per eos dies mortuo ſuccedit Federicus Auguſtus frater.

Galli Palatinatum populatur.

raque pernicies Nicrum quoque amnem transgressa, Lademburgum usque pervenit, flammis absumptum. Haidelbergam pariter, quam recentibus subitariis munitionibus nudaret, cogitare visus, jusso Melaci Comite Visselocum, quà illuc iter, trecentis præsidiariis communire. At citò repressit populandi licentiam, confregitque hostium consilia Badensis Hailbruna digressus cum viginti equitum, totidem amplius peditum millibus, quos dudum apud se collegerat; accersitis insuper Saxonum quinque millibus quingentis, qui in proximo diversabantur. Eppingam primò promovit signa. Mox comperto, Gallos Sintzheimum, tuto ibi opportunoque loco vallum posituros, iter meditari; eò ire antevertit. Quo illi cognito, flexere se ad lævam Manheimum versùs; & Badensis vestigiis institit, Visselocum petens. ad propinquum Elsatum amnem pervenerat præmiseratque in ulteriorem ripam turmas aliquot, pontis aditum tutaturas. Hostem enim compererat non longe abesse, cum expeditoque exercitu properare gradum. Illuc siquidem Lorgesius relictis impedimentis signa verterat; incertum, acie ne congredi vellet, an iret Germanorum partem cis flumen, dum reliqui nondum illud trajecissent, intercepturus. Ei Villarsius prolegato cum valida antecursorum manu muniebat viam. Dum progreditur, obviam

1694.

Repressi a Germanis.

Leve inter eos prælium commissum.

1694. viam habuit levis armaturæ hostium turmam, suos aliquantum prægressam; quam dato impetu concussam fugientemque insequutus, non se tenuit quin equitum alam, ad quam se illa receperat, aggrederetur. Acrius ibi certamen: nec finem habuit, nisi deserto a Germanis pontis aditu, quem insederant, se seque in adversam ripam retrusis, minori tamen sua quàm hostium cæde, cùm centum non amplius desideraverint, trecentos Galli. Hac pugna irritatis animis, nihilo secius neuter exercitus in aciem descendit: Et Lorgesius, postquam triduum eo, quò signa promoverat, loco se continuit, remensa via trans Rhenum copias reduxit, gnarus, Landgravium Cassellensem quinque suæ gentis legiones Nicro admovisse, & mox Brandeburgensium, Monasteriensium, Paderbonensium alias affuturas, quæ duodecim millium numero nimium Badensi virium atque animorum illaturæ forent, magnumque sibi periculum, nisi obiecto Rheno cavisset. Exercitu catervatim diviso ripam interjacentem Franchendalo Oppenheimoque obsepsit extructis identidem castellis, unde hostes majoribus jaculis ab tranando fluvio deterreret. Ab dextra enim traijcere conaturos, opinio erat; quippe nimis ad lævam Philippoburgum, arx Ludovica, Argentoratum, paullumque interior Landavia transitum prohibebant. Hoc rerum

Auctis Germanorum copiis Galli trans Rhenum recedunt.

rerum statu, quo satis utrique sibi consultum reputabant, tricenos dies traduxere; cùm Lorgesius partem exercitus, Nava fluvio transmisso, prope Creutzenavum duxit; seu levanda commeatuum difficultate, quam ipse auxerat vastatis circa Rhenum agris; seu Rhenofeldam improvisò aggressurus; quam tamen Germani, id antea non leviter suspicati, militari apparatu diligentius ornaverant. Longius abituros Gallos, qualiscumque futura esset causa, Badensis ominatus, alendo ipsorum consilio, negligenter se habuerat, mutatisque solùm identidem castris fidem fecerat, nihil sibi, nisi hostem Rheni transitu interdicere ac tempus consumere, in animo esse. Cùm extemplo, vix audito, e sua rem sententia cecidisse, ad ejus amnis ripam exercitum promovit. Lembos ad construendum pontem secum adduxerat, quos e Schrechio (vicus ad aquam est), dirigere aggressus, infesta exadversum habuit Gallorum tela. Eductis enim e vicino Philippoburgi præsidio sexcentis militibus locum munierat Bordesus præfectus, certior in tempore factus hostium consilii. Nec Badensi ad eos repellendos cunctari placuit; rei siquidem eventus in celeritate versabatur. Adverso progressus flumine duodecim passuum millia, signa circa Dachslandum vicum constituit. Insula illic alveum dividit, in eamque ex arce Ludovica bis centum 1694.

Quem Germani pariter transmittunt.

1694. tum Galli processerant præsidii causa; verùm tenui nec machinis armato vallo protecti, disscissique frequentibus majoribus jaculis, in ulteriorem celeriter ripam Hagembachum se receperunt. Vacuam insulam, iniecto ponte, Germani duobus Pyrochitrophorum millibus extemplo insedere. Nec mora ex ulteriori margine disiectis hostibus, continuatoque ponte exercitus omnis in inferiorem Alsatiam pervasit. Ad prædam & rapinam versus, Hagenoensem agrum finitimamque regionem luctu ac damno implevit, abacto pecore & commeatibus, incensis villis, coactis redimere popularibus extremam ruinam præsenti pecunia aut obsidum pignore. Interea Landtgravius a Badensi monitus, e remotiori plaga circumvenire hostem ejusque urgere perniciem accelerabat, Moguntia, unde Rhenum traijceret, legionibus circa se commorantibus ad conveniendum indicta. Res tamen ad irritum cecidit; retuderuntque hostium audaciam Galli prope incredibili celeritate ultro citroque ad opem ferendam pervagati. Lorgesius enim quammaturrime particeps factus: Germanos Rhenum superasse: convocatas undique dispersas copias citato cursu Landaviam adduxit. Bipartito exercitu, ipse dextri agminis ductor, sinistri Joyeusa legatus, in hostes pergunt; palatos in fugam conijciunt, ereptaque alicubi præda nobilio-

Diripiunt Alsatiam finitimamque regionem.

Pulsi celeriter.

bilioraque nullo negotio in suam potestatem restituunt oppida. Unus tantùm mille quingentum globus ad Ottembachi rivi pontem Soyero prolegato duce se loco tenuit. At brevi multatus centum nece, impellenti Joyeusæ cessit. Badensis ubi comperit omne adventare Gallorum robur, ad Rhenum cum majori exercitus parte se retulerat, solicite excepturus, quotquot suorum adhuc manubias agebant, aut in montanos pagos prædatum longius discesserant. Non omnium tamen præstolari reditum, satius habuit. Quippe Lorgesius conjunctis iterum legionibus ad se iter approperabat, acie conflicturus. Quamobrem divexato novem dies acerbis populationibus hostili solo, trans amnem copias reduxit, castra metatus ad pontis aditum; quo statim dissoluto, duo prædatorum millia, qui non in tempore ad transgrediendum advenerant, prædæ Gallis fuerunt. Expedita illic regione, Joyeusa citatis itineribus cum quinque peditum, decem equitum millibus ad Navam regreditur, Landtgravium refrænaturus; quem, trajecto ad Moguntiam Rheno, per ea loca sævire nuntiatum fuerat. Nondum viam confecerat, cùm audit, illum de Badensis reditu admonitum remeasse. Stetere deinde exadversum exercitus aliquot dies interjecto Rheno. Priusquam verò decederet autumnus, hyematum dimissi, utrique

1694.

Remeant cis Rhenum.

lœti

1694. *Utrique hibernis locum capiunt.*

læti nullo accepto publice detrimento ; quod privatim perierat , neglectui habitum . Quæ dum illic aguntur, quid Belgium ferret, longe majori expectatione suspensos tenuit omnium animos. Frequentissimi exercitus, quales ibi nunquam antea, regii sanguinis imperatores, ingenti numero ac fama duces , castraque castris aliquando vix non prorsus collata memorabile quidpiam portendebant. Fœderatos supremo regebat imperio Vilhelmus rex . Centum fere vicenis constabant millibus. Pars major ad Regem convenerat prope Lovanium. Cum decem millibus haud longe diversabatur Maximilianus Octovir. Vicenis millibus circumpositum Leodio vallum, vicinumque Trajectum ad Mosam Virtembergius tutabatur . Globus alter millium ferme decem Thiani Comiti Flandria in provincia obtemperabant . Galli Delphini auctoritatem , Luxemburgii consilium sequebantur. Duo insuper aderant legati Villoregius Beuflersusque , & quotquot propemodum regiæ familiæ, qui militari essent ætate. Nonagena eorum amplius millia illuc ad signa convenerant. Septem & quinquaginta, pari prope equitum peditumque numero Delphinum circumstabant. Vicena millia cum Beuflerso legato seorsum , at proximo loco, se continebant . Harcurtus aliquot legionibus trans Mosam expediebat commeatibus viam

Maximi in Belgio exercitus.

viam. Vallettæ Marchio decem millium agmine aggerem præsepiebat, qui Scaldim inter Legiamque fluvios ad Corteriacum Iprasque ductus Flandriæ Gallicanæ urbes hostibus interclu debat. Prima utrumque imperatorem incessit cura, castra ibi statuere, ubi faciles ad tantam alendam multitudinem commeatus haberent, sufficerentque præcipue jumentis pabula. Horum quod satis in præsens esset, nactus Vilhelmus circa Roosbechum oppidum, Delphinus prope Trudonium diu se tenuere; spe, prius hostem consumptis herbis convasaturum, atque in itinere carptum multisque incommodis affectum iri. Primi, nullo tamen discrimine, ad Tongros Galli retro movere signa, non illecti modò herbidis illic agris stramentique affluente copia, sed in Trajectum Leodiumque ad Mosam intenti, si quæ alterutrum tentandi ex arte bellica occasio se se offerret. Vilhelmus, cui quamvis non incompertum foret, utrobique affatim esse virium ad mœnium tutelam, veritus tamen incerta Martis, ad Mosam descendit, stativis positis prope confluentem Mehaignam, unde breve atque expeditum iter patebat in eas urbes; contra Gallis impediebatur, si progredi Namurcum vellent. Id istis vicissim magnam iniecit curam, tanti momenti oppidum oppugnari posse. Nec mora in adversam transmisere Mehaignæ ripam, Vilhel-

1694.

Sæpius castra movent.

1694. mi propositum delusuri. Dum ibi plures dies alter imminens alteri, sibi prospicit; Regem consilium subiit egregii facinoris magnamque hostibus perniciem parituri; nisi quod isti negligentia peccaverant, incredibili cumulataque solertia emendassent. Gnarus ille, trans Mosam frequentes dispersosque pabulatum eos ire nec ita repente colligi posse, Fleurusium recedit acceleratque postridie mane Soegniacum iter. Galli ad contrahendos pabulatores quidpiam cunctati, vestigiis hostem persequebatur, nil aliud primò suspicati, quàm ut ille commodiorem quæreret stativis locum. At ubi cognitum, bidui fere spatio progressum signa vertisse ad Scaldim amnem, ac Virtembergensem cum viginti armatorum millibus illuc velocius festinare; facile ipsis, quid ab Vilhelmo consilii captum fuisset, in mentem venit. Constituerat autem, improviso Virtembergensis adventu Espieram vicum lapideumque ibi pontem in potestatem redigere, quà Scaldis traducitur, & unde interior erecto dudum ab Gallis aggeri patebat ora Flandriæ oppidis frequentissima. Superato autem amne munire mox adventuris ceteris suorum legionibus ad Corteriacum viam; quo facilè subacto, Legiam deinceps exercitum omnem traijceret, improvisò tentaturus, quæ plures illic erant, hostium urbes, tum fortasse ad obnitendum, ut procul

Vilhelmus rex egregio consilio hosti periculum comparat.

peri-

periculo, non satis paratas, florentissimamque provinciam vastitati addiceret. Non enim inundantibus Fœderatorum legionibus Vallettæ tenues copias facere moram posse; & præoccupatas amnium ripas aditum submissis auxiliaribus interclusuras. Ad inopinatum discrimen exhorruere Galli; augebatque dolorem pudor, quòd non vi, sed ingenio victi in eas plagas se se induissent. An verò ulla maneret evitandarum spes, Delphinus convocato Consilio differendum proposuit. Re diu deliberata, unam omnes Luxemburgii sententiam sequuti sunt. Is dicere aggressus, ingenue primùm se minus quàm Vilhelmum vidisse professus est; non ideo tamen despondendos animos, & esse commune dictum: æquandam labore, si mentis vi nequeas, aliorum sagacitatem. Prævertit ille nostras copias? Minus ei, quò utrique tendimus, viæ superest? Quidni adeo gradum addimus, ut præcurramus. At militibus non tantæ sufficient vires? Eas dabit ipsa rei gerendæ magnitudo, quæ ut animos ad audendum excitat, ita & fulcit corpora mentis alacritate. Itaque, si me audiat imperator, ex omni exercitus robore seligendæ sunt equitum legiones aliquot, equorumque dorso imponendi singuli pedites, qui diem ac noctem, quantùm maxime liceat, continuato cursu viam corripiant. Reliquæ vestigiis hærentes, ut ut possint.

1694.

Quod Delphinus elusit pari sagacitate Luxemburgii sententiam sequutus.

Hujus quæ fuerit summa.

1694. sint, maturent, memores ancipitis expeditionis, atque ex eventu famam habituræ. Præmittendi præcipue velocissimis equis nuntii, ut pontes fluminibus, quæ traijci debeant, inijciantur, expedianturque commeatus, ne ulla detur militibus morandi occasio. De via verò si quis me interroget; puto semel atque iterum transmisso Sabi Condæum petendum, ibique Schaldim superandum. Expeditum illinc pedibus secus ripam, aut lintribus secundo amne, Tornacum; hinc denique Espieram iter. At cur non rectà sed longiori circuitu agendus exercitus, cùm præsertim tantæ rei fœlicitatem una corrumpere mora possit? Hoc ipso scilicet, ut nobis celerius, tardius hosti conficere viam liceat. Quò plus enim ab eo recedimus, minus negotii nobis facesset, omnique insidiarum vel itineris intercepti cura soluti properabimus. Acuunt quippe animum solicitudines, corpus degravant. Illi contra, ubi nos in diversa tendentes retinendi carpendique spe se delusos cogitabunt, remissius commodiusque, veluti supervacaneo conatu, ire pergent. Itaque ipsorum eludemus artem virtute, suosque Vilhelmo reddemus ludos tantò majori gloria, quanto salutare consilium plus habet admirationis e re nata quàm cogitatò captum. Luxemburgii dicto Delphinus annuit. Confestim cum quatuor equitum, totidem peditum millibus designa-

1694.

ſignatam carpere viam Villoregium jubet. Iſque illico movit. Poſtero die Condæum, tertio Tornacum, quarto ad Eſpieræ pontem pervenit. Vix ſigna ſtatuerat, cùm ex altera fluvii parte quaſi per otium adventare hoſtem videt. Agmen erat Virtembergenſi datum, cui Bojoarius in itinere cum turmis aliquot ſe conjunxerat. Sibi cum paucis Vallettæ legionibus negocium fore arbitrabatur, eaſque, ſi ad pontis cuſtodiam detinerentur, alibi ad impediendum non ſuffecturas quin lembis, idcirco ſecum adductis, injecto ponte, evaderent in adverſam ripam. Ex hac opinione fruſtra prius tentato pontis aditu, ſimulatoque ad hoſtem ibi retinendum impetu, pars paullo ſupra inter Boſſum Altamripamque lintres in aquam jacere. Pars cum Virtembergenſi Aldenardam celeri gradu profecta, Schaldim traducere, remeanſque ex oppoſita ripa, ſex machinas, intermedio Gallico aggere, adversùs Altamripam ſtatuere, hoſtium inde ſtationem deturbaturas, ne ſtruendo ponti moram iniiceret. At ubi ex omni parte affluere conſpicantur Gallorum agmina, cunctaque armorum ſtrepitu circumſonare; mirari primùm, unde tanta emergeret multitudo. Deinde gradum ſiſtere, ne quid inexplorato periculo molirentur; monere denique Vilhelmum regem ut, adducto exercitu, vi tranſitum recluderet ac rem,

Illam Galli ingenti arte ac celeritate exequuntur.

Antevertunt primas Fœderatorum legiones, atque a fluminis tranſitu propulſant.

quæ

1694. quæ nunc inexuperabilis videretur, facilem explicatamque redderet. Affuit ille postridie mane succedebatque ripæ, cùm repente Gallicus equitatus per id prope momentum adveniens in eius conspectu stetit. Eum maximis itineribus Delphinus duxerat. Rex vix oculis suis credere, ac se præventum, miraculo habere. Frendens iratusque ob ereptam sibi rei bene gerendæ occasionem, quam in vado esse putaverat, non tamen abiecit hastam, secum perpendens, pedites eadem uti celeritate non potuisse; omne verò Fœderatorum robur illic adesse. Nam & ad se convenire mandaverat, quicquid militum circa Leodium Gandavumque adhuc diversabatur. Gallos proinde non tanti fore ut simul tuendo aggeri, simul tot per ea loca muniendis urbibus sufficerent. Hæc ubi secum primò, dein cum maioribus ducibus digesta; Schaldim illico per Aldenardi pontem copias transmisit, appropinquansque aggeri, majora tormenta expediri jussit. Jaculari aggressis tela non minori strepitu remittebantur vicenis majoribus machinis, quibus opportune Tornaco transvectis vallum armatum a Gallis fuerat. Nihilo secius impetum in vallum facere Vilhelmus parat. Abstinuit autem, cognito a perfugis, hostilem peditatum in proximo esse, jamque primas legiones in aciem prodire. Contiaci Princeps itineri

Reliqui Gallorū advenientes omni hostili exercitu obijciuntur.

ri præfuerat ea solertia, ut uno non amplius die peditum agmen equitatus præcesserit, quamquam campestres bombardas, & quicquid ad eas instruendas foret opus, secum duceret. Verùm ubique munita via, conjuncta navigiis flumina, expositi commeatus (quæ sane incredibili diligentia parata fuerant) quin & ducum hortamenta, factusque ex agris oppidisque concursus precantium, ut felices irent, periculo eximerent socias urbes, Gallicamque gloriam augerent, tantos militibus fecere animos indideruntque robur, ut vix data, quæ ad reficienda corpora satis esset, quiete, iter interdiu noctuque continuaverint. Prout adveniebant, in ordines directi confestim instructam aciem exhibuerunt. Quo comperto, Vilhelmus abstitit oppugnando vallo ciendaque pugna, quæ ipsum magis, quàm hostes aggere protectos, in discrimen adductura erat. Transmittere potius Legiam amnem, consilium cœpit, si qua fortè sibi, tardius lassitudine molientibus Gallis, aut Furnas obtinendi aut intra eorundem fines penetrandi occasio procrearetur. Nulla tamen se obtulit. Nam Delphinus pari celeritate suos trajecit; persequensque instructa acie hostium vestigium, qui trans aggerem, Ipras usque productum, procedebant, spe illum non ubique impervium se reperturos; omnem Vilhelmo regi quidpiam au-

1694.

Qui a pugna abstinet.

1694. audendi voluntatem eripuit, ingenti celebratus plausu ob servatam provinciam, quæ inexpiabili damno jam prope divexanda videbatur. Tantum ea res Ludovico regi attulit gaudii, quantum antea solicitudinis timor, ne serum tot ibi suæ gentis clarissimis oppidis auxilium adductum foret; voluitque publice apud exercitum recitari literas, quibus ob rempublicam bene gestam Delphino ceterisque regio sanguine sibi conjunctis, dein Luxemburgio, cui præcipuas, aliisque nominatim majoribus ducibus, minoribus quoque gregarioque militi eximias laudes quin & grates retulit, seque memorem navatæ summa fide, militari arte, strenuo labore operæ futurum pollicitus est. Dum illic paucos dies uterque exercitus, alter in alterum intentus otiatur; Vilhelmus rex duodecim armatorum millia, quos Leodio acceperat (pars major Brandeburgenses erant) octo suorum legionibus auctos cum Ploenæ Duce, supremo Batavæ militiæ præside, eò redire, proximumque Huyum, quod Leodiensibus infestum erat, oppugnare jussit. Armorum illic imperium penes Regnaci dynastam erat; qui traducto in arcem præsidio civibus non recusavit, ut hostem pacifice intra oppidum reciperent, pacti prius, arcem ab ea parte perculsum nequaquam iri. Quod & Galli superiori anno, idem facinus aggressi, concesf-

Rex Ludovicus rem ab suis adeo strenue gestá eximiè laudat.

ceſſerant, ne in innocuos oppidanos reciproca machinarum ira verteret. Et pari quoque ordine inſtructa nunc oppugnatio. E proximo collis vertice quinquaginta majora tormenta, unum ac viginti pyrolmi prima in Puicerdum caſtellum propinquamque munitiunculam, quam rubram vocant, contorſere jacula. Illuc deinde productis vineis apertiſque mœnibus Brandeburgenſium agmen ter diſpellere obnitentes oppidanos fruſtra conatur, mutuaque cæde retruditur. At poſtridie regreſſum ſuperſcandit ruinas, poſt obſtinatam pugnam victor. Centum quinquagenumque præſidium utrobique fuerat. Qui in rubro Caſtello excubabant, partim trucidati, partim capti. Puicerdi præfectus Condronus, quicquid prælio ſuperfuerat, ſaucius ipſe in arcem, quæ a tergo erat, retulit. Verſis deinde ad hanc verberandam arietibus citò ceſſit alicubi mœnium compages. Qua diſſoluta Regnacus præfectus cùm octo non amplius dies ſe loco tenuiſſet, propoſuit deditionis ſignum, pactuſque omni militari decore honeſtam miſſionem, ſeptingentos, quot reliqui erant, præſidiarios Namurcum ſecum adduxit. Ad opem obſeſſis ferendam Luxemburgius (nam Delphinus ignobilem moram aſpernatus in Aulam diſceſſerat) Beuflerſum legatum mittere conſtituerat. At reputans, Huyum non tanti eſſe, ut imminu- 1694.

Fœderatorum Pars Huyum petit, atque invadit.

1694. tis copiis sibi periculum a Fœderatorum exercitu longe frequentiori, quem in conspectu habebat, adeundum esset, consilium mutavit. Mox utrinque jam nimis in confectos tot laboribus ingruente morbo, medio vixdum autumno milites in hiberna dimissi. Doluit Fœderatis tantum in Belgio inaniter collectum armorum robur tantumque absumptum pecuniæ: augebatque ægritudinem, quòd parum quoque maritimis in Galliam expeditionibus profectum foret; præsertim cùm distracta ultra fretum Gaditanum hostili classe, vacuus apertusque sibi oceanus contigisset, nec satis ab externa vi consultum credidissent Gallico adverso litori, celeriter illinc abducto ad tutandos alibi regni fines legionario milite. Principio æstatis ex Anglia solverat Berkleius prætor cum sex ac triginta Fœderatorum bellicis navibus, duodecim pyrolmis, onerariis octoginta, centumque plana carina lembis, quibus litoris brevia, in terram evasuri, superarent; adduxeratque secum validas copias Talmascho prolegato duce. Brivatem, e cuius tutissimo celeberrimoque minoris Britanniæ portu Gallicana classis frequentesque piraticæ naves reddebant hostibus intutum mare, in potestatem redigendum aut verberandum tacito consilio sibi proposuerat. Pelagus ibi per difficiles scopulos oblongis angustisque faucibus in terram

Utrinque in hiberna milites dimittuntur.

Fœderata classis Brivatem navigat.

Ejus portus describitur.

ram se immittens portum efficit. In eum penetrare invita urbe nequaquam licet. Vetant siquidem & loci natura & ipsæ fauces castellis machinisque armatæ. Statuerat proinde copias in terram exponere, ubi litus paullo infra in occidentem flectitur, ac brevem inter portum apertumque oceanum protendit linguam. Qua potitus, interioribus navigiis quin & oppido maximam perniciem, sin minus extremam, se allaturum non dubitabat. Hostium consilium Galli ex ipso periculo suspicati, oram illam, ubi scopulis non custoditur, novem minoribus propugnaculis erectoque alicubi vallo permunierant. Quin & trecentis curulibus tormentis, nonaginta pyrolmis opportuno dispositis loco, descensuris minitabantur. Illi extra teli coniectum statuerunt naves anchoris. Dein Telmascus, & Camarteni Marchio biremi propius continentem adducti speculatique loci naturam, ad Camaretum vicum, qua parte per quingentos passus litus humile, & mare vadosum est, fieri descensum jubent. Itaque admotis septem bellicis navibus, ingens in oppositas munitiones jaculorum procella emittitur eo consilio, ut fumus Gallis eriperet appellentium cymbarum conspectum; terror demitteret animos, ne se quis obijcere auderet. Interea Telmascus octingentos armatos in terram exposuit, viam reliquis

1694.

Ubi, & quo pacto in terram Fœderati descendunt.

1694. liquis munituros. Dum incompositi rigorem excutiunt madore conceptum; nam pedibus brevia trajecerant, hærentibus in arena cymbis; cohors centum provincialium, qui ad primum adventantis inimicæ classis signum ingenti numero Brivatem armati convenerant, eos oppressit. In quos primùm factus impetus, cæsi. Ceteri in his Telmascus lethali perculsus vulnere, quo paullo post vita decessit, fuga lintres repetunt. Harum plurimæ, frequentissimis telis divexatæ, inhibuerant. Septem ulteriores, quæ nondum se se expedierant, nimia fugientium pressæ multitudine, & refluente jam pelago, solo impactæ præda hostium fuere. Plures inibi Fœderatorum trucidati, quamquam vitam positis armis deprecarentur; capti supra quingentos. Et navis Batava, quæ nimis ausa interius accesserat, laceris armamentis, cùm tarde moliretur, in hostium potestatem venit. Sex aliæ, quòd prope litus ultra quàm ceteræ se protulerant, telis dilaceratæ vix ad classem se recepere, quæ illico, damnum instauratura, proras in Angliam vertit; accepta mille quingentum clade, cùm quinquageni haud amplius Gallorum occubuissent. Exitiosæ expeditionis pudor exacuit irritavitque, ut qui nimium navali etiam robore prævalerent, Fœderatorum animos. Quamobrem sartis celerrime navibus auctisque ad quinas quadragenas-

Plurimo damno repulsi.

Classis in Angliam redit.

genasque, Berklejus prætor vela in oppositum Normanniæ litus iterum dedit. Anchoras primùm ante Deppam, nobile ad Acri amnis fauces emporium, jecit. Milites navibus continuit, memor Brivatensis ærumnæ, & quia concursantium undique ad arma popularium tumultu litus perstrepebat. At novem pyrolmophoris prope continentem locatis, quæ bis mille quadringentas ollas incendiarias bidui spatio vomuere, urbem incendio ac ruinis involvit adeo, ut, cum ligneæ confertæque essent domus, nullam fere intactam reliquerit. Tentatum quoque, oppido circumposita mœnia subruere immisso ferali navigio, stipato immensa vi sulphurati pulveris, quo ignescente vehementissime concussus aer illa impingeret illideretque; sed irrito eventu. Nam dudum, ad hoc præcavendum portus ostium conclusum fuerat, immersis aliquot onerariis, ad quas hærens machina, procul urbe flammam terroremque diffudit innocuo strepitu. Nec ab ollis incendiariis ulla popularibus illata cædes, fœminis puerisque jam antea ablegatis; ceteros caveæ munitaque loca protexerunt. Quievere quoque ad funestissimam domorum stragem, ærumnam molliente dictis promissisque Bevuroni Marchione provinciæ proprætore, qui dudum illuc præter ingentem provincialium multitudinem, legionarios aliquot adduxerat, veritus

1694.

Iterum in altû ducitur.

Deppam ollis incendiariis verberat ingenti damno.

1694. ritus non minus ab hoste, quàm a civium insidiis, quorum pluribus in Catholicam religionem recens transgressis parum fidebat. Nec ab suspicione penitus abfuere; manavitque rumor, vastum incendium non externo tantùm igne, sed intestina fraude latius dissipatum. Illud quoque incertum mansit, dolo an imperitia e muralibus tormentis in hostem nullo fere ejus damno contorta fuerint jacula, plerumque pingui errore pyrolmophoras prætergressa. Verum hæc modò silentio præterita, quippe major urgebat repellendæ incendiariæ pestis cura, cladem ubique per ea litora ferociter minitantis. Inimica processerat classis ante Gratiæ portum, celebris ad Sequanam amnem, ubi mare subit, oppidi. Edocta, illic adesse cum frequenti legionariorum provincialisque militis agmine Choeselium legatum, cui tutandum Gallicum omne oceani litus mandatum fuerat, milites in terram exponere haudquaquam ausa, pyrolmisque tantùm sævire aggressa, citò abstinuit, repulsa vento muraliumque tormentorum telis atque igniferis globis, quorum unus pyrolmophoram, injecto igne, diffregit. Oppidum tamen haud parum accepit damni, quamquam cives comprimendæ ubique flammæ præstò forent. Inde classis maritimam legens Constantiensem oram, quam nunc Hoguam dicunt, eandem Carobur-

Et Gratiæ portum.

burgo cladem illatura, visa est. Quamquam 1694. ab inferenda se cohibuit, ne, cùm ob impeditum scopulis mare propiùs continentem standum in anchoris esset, majus ipsa hostilibus discussa jaculis discrimen adiret. Demum reficiendis viribus proras iterum in Angliam direxit. Nec diu fuit, quin Schovelo duce tertiam expeditionem susceperit, pluribus, quàm adhuc, exitialibus machinis secum assumptis. Dunquercam sibi verberandam proposuerat, dum interim Fœderatorum exercitus, qui prope diversabatur, si ferret occasio atque in oppido tumultus oriretur, e terra insidiaturus ei erat. Is plurimus Gallos cùm suscepisset metus, celeri gradu eò contenderant Villoregius legatus, Cenomanorum Dux, Tolosæque Comes cum duabus sagittariorum legionibus, pyrochitrophoris septingentis. Plurima quoque tormenta munitis locis disposita, ubicumque hostibus terra marique patebat ad muros aditus. Litus, quo validissimum sedet oppidum, brevia scopulique prætexunt, nec nisi per anfractus aperitur navigantibus portus; quem Galli operibus additis difficiliorem fecerant aliqua obiecta munitione, sicubi quidpiam solidi extabat undis. Schovelus quatuor præmissis bellicis navibus, quæ pluribus speculatoriis cymbis præsidio essent, se longius tenuit quoad cognita circum pelagi altitudine, de re geren-

Aliaque oppida

Redux iterum in Angliam.

Tertio e portu egressa Dūquerquam petit.

Quò plures Gallorum auxiliatũ petunt.

Ejus portus munitionesque describuntur.

1694. renda consilium caperet. Nihil tamen explorati habuit. E binis enim ulterioribus castellis micantes perpetuò bombardæ majoribus telis, effusa obviam navigia submoverunt. Gallos inde protrudere, ac delere promota in pelagum munimenta ignivomentium impetu navium, tentatum fuit, duæque illuc impulsæ; sed vadis, priusquam pervenirent, illisæ, operam perdidere. Vetito Dunquercam pyrolmophoris accessu, ne justo spatio jaculari possent, Schovelus Caletum pergit. Vixdum in ejus tecta sævire adortus, tempestate in altum avulsus est. Et cùm jam autumnus ingravesceret, nec laceræ naves tutò ferre agitatos fluctus amplius possent, eas tandem in Angliæ portus subduxit. Ita hoc anno sociale bellum pugnatum est. Turcicum modò superest enarrandum. Magno utrinque apparatu, præterquam a Sarmatis, discordia malorumque tædio torpentibus, instructum per hyemem fuerat; non prius tamen quàm exiret æstas, producta in hostem signa, aliis alia de causa, ut narraturi sumus, cunctantibus. Cæsar desperata cum Turcis pace, eos fortiter insectari constituerat ne feroces relevarent animos, quod insolenter incœperant. Sed ita ut armorum fortunam sibi plerumque hactenus propitiam, quæ tamen senescere videretur, in apertum discrimen non committeret. Quamobrem Comitem Æneam Ca-

Fœderata classis irrito conatu recedit.

Inde Caletum pergit.

Vento repulsa suos repetit portus.

Turcicum bellum enarratur.

Capraram, cui supremum traderet armorum 1694.
imperium, ex Italia evocaverat, fidens ingenio Viri, sua consilia & militare decus e suorum potius salute quàm ex hostium pernicie moderantis. Sex ac triginta Germanorum millia & aliquot Hungarorum legiones ei dedit, quibus Visirio obviam iret; dum interim cum alio Germanorum globo Veteranius legatus ab Scytharum incursionibus Transylvaniam tutaretur; Antoniusque, Araviscorum præfectus, popularium copias Tebelio, Hungarica Turcarum oppida victu fortasse reficere conaturo, obijceret, infestumque transvehendis commeatibus Danubium ex adversa ripa Thracibus redderet. Navale siquidem ipsorum robur æquare Cæsari non licuerat, difficili nautarum delectu, qui nonnisi in Batavia aut Hamburgi, nec sine ingenti negotio haberi poterat. His comparandis æstivum jam prope tempus discesserat, longo auxiliarium itinere, nec prompta ad militares usus pecunia; & Caprara, ne imparatum ad exercitum iret, moram traxerat; gnarus, improsperos eventus non virium imbecillitati, sed imperatori vitio tribui. Metus proinde incesserat, ne Turcæ prius in expeditionem copias educerent, quàm justo exercitu Germanus in acie posset consistere. Visirius enim incredibili acceleratoque studio, priusquam ver inciperet ad bellum se

Quæ Cæsaris ad illud urgendum.

Quæ Turcarū.

1694. comparaverat, ominatus certam sibi victoriam, si hostem, agendo, præverteret. At commodùm Germanis accidit, ut maxima illius pernicie res quoque in Orientis Regia turbaverint. Achmetes aqua intercute laborabat, & mox fato cessurum æque morbus ac intemperantia pollicebantur. Igitur familiaribus, ut fit, colloquiis Purpurati de successore disserebant, divisis animis inter Mustaphum exauthorati Mehemetis regis filium, maximæ spei adolescentem, ac duos nuper editos Achmeti liberos. His Mater conciliaverat Eunuchorum principes, quibus ibi potiores aulici magistratus mandantur; Visiriumque magistratu deijciendum sibi proposuerat, conscia, hunc Mustapho in solium evehendo daturum operam, suæ gentis atque Othomanici misertum Imperii, quod rege impubere unaque rerum potente fœmina pessum iturum clam mussitabat. Nacta idoneum tempus, cùm illæ venandi causa paullum Byzantio discessisset, inter domesticos cum Conjuge sermones, Visirium otio in tanto belli discrimine indulgentem redarguit. Quod tamen, inquit, si constanti pensaret erga te fide, non magni ducendum foret. Sed vacillantis argumentum dedisse, dum truncis nonnunquam dictis tuam, veluti inconsultam, urgendi belli ferociam, gerendi simul inertiam ludibrio haberet. Hæc tempe-

Turbatur in ipsorum Regia, & quare.

sti.

ſtive in ejus animum ingeſta eò vehementius Achmetem exulceraverant, quò, fraude licèt compacta, a veritate non abhorrebant. Ira proinde ac metu percitus Viſirium abdicare ſe magiſtratu, ac Sidone, ejus prætura donatum, exulare juſſit. Paruit improviſo perculſus nuncio; ceterùm militum benevolentia, qua plurima fruebatur, obniti poterat. At rarum audendi conſilium, ubi maxima calamitate inopinatoque vulnere concidit animus. Halius in ejus locum ſufficitur, qui Tripoli Phœniciæ præerat, dudum ſupremus imperii quæſtor, Reginæque, ingenio ac donis, apprime carus. Is ad Regem profectus, Aulæ prius interiora, dein quæ ad bellum ornandum erant, expediit, exauthorati Viſirii diligentiam æmulatus, ne hinc ejus deſiderium excitaretur; media tandem æſtate ad exercitum digreſſus Aſiaticas legiones ſecum adduxit, quæ circa Byzantium, quoad novus adeſset imperator, conſtiterant. Interim ad Albam Græcam proprætor plurimas collegerat ex hibernis copias; quæ ne otio marceſcerent (nam lente Germani ad ſigna conveniebant) Tibiſcum oppidum, quo aditus cognominis fluvii in Danubium confluentis impeditur, oppugnare ſtatuit. Hungarorum dumtaxat præſidio tenebatur, non ſatis ad hoſtem propulſandum valido; quocirca præfectus vixdum novit Turcas Savum tranſ-

1694.

Turcæ Tibiſcũ oppidum invadunt.

1694. misisse, a Vidone Starembergio, qui supremum armorum imperium per ea loca gerebat, & Mursæ commorabatur, auxilium rogavit, accepitque statim quingentos Germanos, oppidum ingressos, priusquam illuc hostes subirent. Hi tamen, quin impetum darent haudquaquam abstinuere. Scalis admotis transgredi mœnia conniuntur; propulsi pugnam instaurant, nec nisi magna multati cæde urgere desinunt. Desperantes remeabant, cùm ad Salanchemenum agmini suorum occurrunt, quod primos subsequi milites, si fortè facinori non suffecissent, jussum fuerat. Aucti ad octo millia, acceptoque ad evertendos muros ariete, gradum referunt. Vix ille impactus, hiavit lorica. Non tamen, quamvis in apertum egressos præsidiarios detrusissent, irrumpere ac superscandere ruinas audent, territi nuntio: *Recedunt.* Vidonem, cum omni suorum militum robore suppetias laturum, haud longe abesse. Quin & manus cum eo conserere aversati, ad Savum extemplo se retulerunt. Quievere deinde aliquot dies utrique anxii, quid alter ageret, intenti augendis viribus, internoscendisque, quibus caverent, hostis consiliis. Fama erat, Scythas in Transylvaniam pervadere conaturos, eaque in potestatem redacta vel saltem populata, iter Albam Græcam prosequuturos. Hoc rumore instinctus Ve- *Germani Transylvaniæ cavent.*

te-

teranius, quicquid secum habebat militum, eò statim adduxit, ubi ad Valachiæ Moldaviæque fines per saltus difficiles, quos validis præsidiis conclusit, illa pervia solùm est. At comperto, Scythas, instructo commeatibus Kamenæco, bifariam divisos, partim provinciam extrinsecus circumire, partim rectà ad Danubium perrexisse, timuit ne a meridie per faciliorem, qui unus illic inter asperrimos æque montes panditur, saltum (portam ferream vocant) intrò pervaderent, eò raptim laborioso itinere agmen circumtulit, obseditque patentem aditum ac Marisi amnis ripam, quo ab ea parte plurimùm Transylvania occluditur. Verùm Scythæ (vicenis constabant millibus) seu Veteranii diligentia præpediti, seu admoniti ut ne, rem difficilem aggressi, tardarent iter, ad Visirium nulla distracti mora cursum direxere. Is Albam Græcam medio sextili pervenerat. Lustrato exercitu octogena armatorum millia signa sequi, classem vigere decem triremibus, quadraginta biremibus, sexaginta lembis, lætus aspexit. Continuò ad hostem, quem tanto apparatu conteri posse non dubitabat, per dextram Danubii ripam ire pergit. Ille stativa, ut superiori anno, ad Petri Varadinum posuerat loco natura atque arte munitissimo. Oppidum amne alluitur, arx a tergo supereminet. Utrumque validis operibus cespite 1694.

Prope Petri Varadinum vallo se muniunt.

te

1694. te ſtructis circumvallatur. Ibi Germani eduxerant præ ſe aggerem, quo catapultis, foſſa, frequentibuſque caſtellis inſtructo ſe communirent. Ponte quoque navigiis impoſito Danubium obſtruxerant, ne Turcarum claſſis, cui cymbarum numero longe impares erant, ſe ſe altius immittens obſepiret commeatibus fluvium, quo præſertim traducebantur. Ad pontis tutelam ſexaginta lintres Aſchembergio prætore in anchoris ante ipſum ſtabant; lintribuſque diſpoſitæ in utraque ripa murales machinæ, ne ad pugnam cogerentur, præſidio erant. Præter jam poſitum vallum Æneas imperator, poſtquam ineunte ſeptembre eò venerat cognoveratque male ſuos de non magno Turcarum exercitu ſibi hactenus fuiſſet blanditos, interius aliud addiderat, ſuſpenderatque cuniculis, quicquid inter utrumque interiacebat ſpatii. Quin & alterum Danubio pontem iniecerat, ne uno fracto libere hoſtium naves cum extrema ſuorum pernicie per ſuperiorem amnem vagari poſſent. Rebus ita compoſitis, Viſirius traducto Savo, emenſoque trium dierum itinere in Germanorum conſpectum venit, illos ratus in aciem prodituros. Ubi vidit, fruſtra levioribus præliis, ut ad certamen exirent, provocari, vineas ad ipſorum munitiones ducere aggreditur. Sexagenos, ſenſim productis operibus, haud amplius aberant

Aliiſque operibus.

Viſirius ad eos pergit.

rant passus, cùm centum majoribus tormentis & aliquot pyrolmis moveri tempestatem jussit. Parum inde Cæsarianorum absorptum, quos ab jaculis aggeres contegebant, & ollæ incendiariæ humi infixæ levi astantium damno discerpebantur. Longe majus accidebat Thracibus, aperto corpore ad vallum succedentibus. Nihilo secius istud scandere pertinaciter connitebantur; quoad conterriti cumulata suorum nece, funestam illic non amplius ducere moram ac remeare, consilium capiunt. Germani e castris effusi, pulsis terga cædere ac pavorem addere. Sed illi versa fronte insectantibus occurrunt, retrusosque invicem pari clade abdere se iterum in castra cogunt. Uterque malo suo, quid alter posset, expertus, arte ac patientia vincere induxit animum; Thrax impediendis commeatibus Germanos ad famem redigere obfirmatus; hi expediendis obtinere, ut cunctatio plus hosti quàm sibi incommodaret. In id Caprara equitatum omnem, præter sex levis armaturæ, duodevicenasque sagittariorum centurias, in oppositam ripam transmiserat, qui Scytharum excursiones nimiùm molestas pabulatoribus vectariisque jumentis refrænaret, explicaretque e superiori Hungaria tutum frumentatoribus iter. Jam enim sexcentos illorum palatos vagosque interceperant; nec ulla fuisset ab ipsis quies, nisi frequentibus

1694.

Vineas contra vallum agit.

E diversa parte hostibus insidiatur.

Quot quibusque modis.

1694. bus stationibus ab grassando prohibiti forent. Majus autem Cæsarianis aderat periculum ab hostili classe. Visirius enim constituerat quacunque suarum navium jactura objectum pontem disiicere, ac penitus aperire suis lintribus amnem, ne quid illinc alimenti penetraret in hostium castra. Itaque postquam semel atque iterum complures cymbas frustra illuc impulerat, toto simul navali robore dari impetum voluit. Insigni conatu tentatum facinus, sed pari ferocia repulsum, nunc quoque ad irritum cecidit, submotis laceratisque Turcarum navigiis catapultarum vi, quæ ab utraque ripa nulla requie ferociter jaculabantur. Non tamen prosperi eventus abiecere Turcæ spem, illectis primùm ingenti præmio urinatoribus ad anchoralia præcidenda, quibus constratæ naves contra fluminis impetum se sustinebant. Compertas dissipavere insidias Cæsariani, subeuntium potiti, firmataque novis retinaculis mole. Aggressi deinde Barbari majoribus tormentis eam proscindere, quotquot horum plurima licuit, statuunt in margine stagnantis ad pontis aditum paludis, & in Schitzæ insulæ rostro, quæ non nimis longe surgere videbatur. Verùm hinc frustra aut ictu levi emissa jacula; illic fractæ machinæ aut prostratæ pari hostilium telorum vi. Nec ideo, veluti ad desperatum facinus, elanguere. E superiori ripa

Cæsarianam classem aggreditur irrito conatu.

Nec semel illi periculum objicit.

pa trabes cuſpide armatas immittunt, quæ cursu fluminis concitatæ objectas (illic enim citiſſimus ruit) perfoderent naves aut deturbarent. Hæ pariter, ſiquidem unco tractæ ac dimotæ ab excubitoriis cymbis, factam ſui expectationem deceperunt. Cùm diruendo ponte Germanorum commeatibus impediri navigatio, in quo ſumma rei agebatur, non potuiſſet; alia id Thraces pertentant via. Illocum, fluvio inſidens oppidum, quà præterlabendum Cæſarianis navibus erat, improvisò aggredi ſtatuunt, rati, modico detentum præſidio, utpote ab hoſte remotum, facilè in poteſtatem redactum iri. Nec ab eventu res aberraſſet, niſi transfugarum monitu celeriter inſtructum frequentiori milite, diſcrimini ſubductum foret. Denique ad Orovitzam inſulam, quæ paullo ſupra Petri Varadinum Danubium dirimit, occupandam tacitas intendunt curas. Itaque cymbas aliquot plauſtris impoſitas, circumductaſque vallum, in ſuperiorem amnem traducunt; nec mora confertas audaci ac ſtrenuo milite ad inſulam inopinatò impellunt. Illic pauci Germanorum pedites excubabant, quippe quæ impervia Turcarum ratibus, gemino interiecto ponte, reputabatur. Nihilo ſecius primos irruentium conatus repulere, iis tamen coacti cedere ad iteratos ictus, ac locum deſerere; indeque illico obſeptus amnis. Eò proinde res

1694.

Alia impediendę Danubianæ Navigationis initæ ratio.

Turcæ occupant ſuperiorem amnis inſulam.

1694. pervenerat, ut Germanis jam prope obsessis quærenda ferro, nec sine ingenti periculo, salus esset. Nam frustra in eam insulam redire pertentaverant; & Visirius accepto atroci Regis mandato, mortem ipsi, ni vinceret, minitantis, admotis quotidie magis ad eorum vallum operibus classeque instaurata, extremam terra fluvioque parabat vim; terrore suorum militum virtutem exacuens, fractisque Halio navium præfecto cervicibus, quòd in pontem non irruisset universo navali robore; minas ad exemplum exequutus, additaque minacibus, quæ interdum repetebat, dictis fide. Quamobrem dispersas alibi copias Caprara statim convenire ad se jusserat; jamque Brandeburgensium auxiliares sex peditum millia, sexcenti equites; Polandus cum quatuor equestribus legionibus, cum sex peditum Veteranius ex finitima Transylvaniæ ad Marisum amnem ora in castra venerat; cunctaque ad repellendum hostem consilia instruebantur. Pugnæ discrimen dubiamque aleam subduxere primùm imbres maximi continuique, deinde morbi in utrumque exercitum vehementer grassantes, quibus absumpti Turcarum plures, labore fessi, & immersi inundantibus pluviis excubare ad munitiones diu coacti; æque verò Germani, durissima insuper annona debilitati. Et latius dira clades permeasset, si amplius

Hinc imminens Germanis commeatuum inopia.

Qui ad necessariam pugnam se comparant.

plius

1694.

Turcæ maximis pluviis, aliisq. incommodis labefactati pedem referunt.

plius ad eadem incommoda obdurandum fuisset. Verùm Visirius celeri nuntio ab Achmete rege remeandi, partiendique in hiberna exercitus potestate accepta, ne diutius cum fœdissima anni tempestate decertaret, primus pedem retulit. Quod sane in tempore. Nam per hos postremos dies ad reliqua mala rei frumentariæ ac victus inopia repente suis accesserat, captis ab Tybisci oppidi præsidiariis decem ac septem navibus, quæ sibi cum commeatibus ab Alba græca submittebantur. Igitur tormentis bellicoque instrumento ægrisque in classem impositis, postridie Kal. Oct. nocte ac silenti agmine retro iter ad Savum suscepit; quiescentibus Germanis, seu quia non senserunt obstrepente pluvia, vel quòd iisdem & ipsi obtorpentes incommodis sentire dissimularunt. Postridie mane paucæ solùm turmæ levis armaturæ, ut postremos discedentium carperent, dimissæ. At longius illi, quàm ut intercipi possent, jam processerant. Discessu hostium Capraram solutum ingenti cura excepit alia vix non minor solicitudo, ne in Transylvaniam, quam fere præsidio vacuam reperturi erant, iter præriperent. Quocirca Veteranium Pollandumque cum iis, quas illinc deduxerant, legionibus citato gradu in eam redire jussit. Cronsfeldum prolegato cum octo aliis legionibus eodem fere tempore Segedunum mi-

Germani de Transylvania timent.

Ei tuendæ prospiciunt.

1694. misit, superiori Hungariæ prospiciens, cui pariter ab Scytharum incursionibus metuebat.

Ac superiori Hungariæ,

Ipse, per proxima Danubio loca reliquo exercitu hyematum dimisso, Græcium secessit artuum dolore oppressus, Viennam, ubi convaluisset, iter prosequuturus. Visirius Albæ græcæ plures moratus dies reficiendis militum viribus, nihil ultra tentandum statuit; ire tantùm iussò Scytharum Turcarumque globo ad Temesvarium Juliamque frumento recreandas.

Turcæ Temesvario opem afferunt.

Ei ad Temesvarium patuit iter. Ab Julia Veteranius Pollandusque Marisi ripam jam prætexentes prohibuerunt. Scythæ illinc ad suos corripuere viam, Moldaviam, licèt amicam, dum irent, populati, ne redirent fraudati præda, qua una ad bellum illiciuntur.

Iuliæ nequeunt.

Visirius in aulam regressus, solemni plausu ab Achmete aulicisque, nulla quamvis laurea exornatus, quin & octo millibus imminuto exercitu, exceptus est.

Visirius in Aula plausu excipitur.

Fama siquidem apud eos manaverat, nihil ipsi ad victoriam obstitisse nisi infestos atque inimicos imbres: facilè fallente se animo blandis opinionibus, si falsi, experiundo, redargui nequeat. Æque verò Germania plausit elusæ hostium spei, quamquam suorum clades ad quatuor millia pervenisset; anxio tamen tacitis cogitationibus Cæsare, quòd tanto collecto armatorum robore non satis publicæ securitati, quin periculum adierit, prospectum fuisset;

Plaudente suis pariter Germania.

ſet ; reputaretque, alacrius hinc Barbaros ad arma inſurrecturos: nemine ad rem gerendam audaciore, quàm cui emergendi ex adverſa fortuna ſpes tandem aliqua effulſiſſe viſa eſt. Et erat conſcius, Aſiaticos tumultus, qui paſſim per hominum ora, veluti graviſſimi, pervagabantur, parvi momenti eſſe, quapiam ſolùm graſſante prope Meccam ad Erythræi maris oram Arabum latronum turma ; quæ citò Gentis indole, regionis inopia, popularium inſectatione, ut ſæpius antea, diſſipanda foret. Quin etiam ad belli ſummam non multùm prodeſſe arbitrabatur contuſum ab Sarmatis per hos ipſos dies ingenti plaga hoſtium agmen, quod quinque vehiculorum millibus, Camenæcum pecunia victu ac re bellica recreaturis, viam communiebat. Vicena erant Scytharum millia cum aliquot Dacorum cohortibus, ac bis mille Turcarum equitum, ſeniſque denis Janizarorum centuriis, quibus oppidi præſidium ſupplendum erat. Jaſſio diſceſſerant duce Schaboſo Geræjo Scytha, in Ceſii Geræi principem locum ſuffecto ; huic ſiquidem cauta conſilia meticuloſi nomen comparaverant. Polonis tantus apparatus jampridem congeſtus haudquaquam ignotus manſerat. Simul proinde ac moveri cœptus, vires ad eum diſſipandum collegerant. Moniti illum jam ad Naparim amnem appropinquare, Jablonouſchius Polonorum,

1694.

Sed anxio Cæſare, & quare.

Poloni ingenti clade Scythas contundunt, maxima relata præda.

Quomodo id geſtum.

1694. rum, Sapieha Lithuanorum præfecti vicena equitum millia cum triginta campestribus machinis eò confestim ducunt, manus conserturi. Naparis intererat, consultantque, satius ne foret, simulato metu quidpiam referre pedem ut hostem ad transmittendum allicerent; an ipsi peterent adversam ripam pugnamque lacesserent. Hæc verior visa sententia est, quippe quæ militibus faceret animos, Scythas tot carris implicitos minus idoneos ad certandum redderet, certiorque futura præda esset. Igitur aliquanto inferius prope Huscieum oppidum, ubi nondum ripam hostis insederat, nando equitatus traducitur. Duo præcesserant sagittariorum millia, muniebantque ceteris transitum, cùm Barbarorum ala in eos incurrit. Impares licèt, pedem tenuere, quoad aucti subinde transmittentibus ceteris, terga dare Scythas cogunt. Interea traductis lintrium ope duodecim tormentis, ad eos instructa vadunt acie tantaque vi permittunt equos, ut Scythæ impressionem non tulerint arrepta fuga. Increpiti minaci præfectorum voce, qui statim advolaverant ad prima signa, inconditamque turbam regere imperio conabantur, se circumflectunt. Ter deinde moti, rursus ducum hortatu prælium instaurant. Dum ita variaverat belli fortuna, & quatuor consumpserat horas pugna, Sarmatæ dolore simul atque ira perciti, quòd frustra

tan-

tanto discrimine hostem quæsissent, nisi prædam victoriamque reportarent; occidente jam sole exacuunt vires eaque ferocia certamen integrant ut Scythis obniti haud amplius liberum fuerit. Fuga proximum saltum eos ingressos non ultra Sarmatæ sunt insequuti, noctem & locum veriti. Scytharum cecidere ad quatuor millia, captique plures, in his procerum duo, Murzas vocant. Sarmatis modica suorum cæde stetisse victoriam captumque plaustrorum ingentem numerum, rumor increbruit. Verùm cùm statim ad quietem in hiberna discesserint, & diu dimicatum fuerint, illustre facinus tam levi coemptum pretio credere, haudquaquam inclinat animus. Is hoc anno relatus inibi armorum fructus, additumque præterea intercludendis arctiùs Camenæco faucibus novum castellum. Ceterum belli apud eam gentem cura vix non penitus consenuerat. Nam Regem concussa primùm febribus valetudo, quamobrem comitia, quibus eo præsente opus erat, dimissa fuerant; deinde nuptiæ Teresiæ Cunegundæ filiæ cum Octoviro Maximiliano Bojoariæ Duce solemni pompa per æstatem celebratæ ab ejus gerendi studio abduxerant. Et fama fuit, Ludovicam Mariam conjugem, quæ multùm consilio ac muliebri arte apud ipsum poterat, otium Maritò suasisse æquè metu ne militaris labor ætate jam ingravescen-

1694.

Qua utrinque cæde.

Regis Joannis filia Octoviro Bojoario nubit.

1694. ſcentem nimiùm degravaret, ac obſequi voluiſſe Galliæ regi Ludovico, a quo tandem illius pater Arquieni Marchio in equeſtrem, S. Spiritus nomini dicatum, Ordinem atque in duodecemvirum regni procerum collegium, ipſa exorante, aſcitus fuerat. Senatus quoque jam non amplius variantibus ſententiis in diverſa tractus, ad pacem inclinabat animum, expertus nullo emolumento Rempublicam in belli conſtantia perſeverare. Et Nobilitas, plebeſque diuturna dolentes calamitate palam inclamabant, fœlicibus armis haudquaquam ab Turcis tantùm extorqueri poſſe, quantùm ineunda pace oblatum fuerat. Dudum enim Adrianopoli redierat Chelmiæ prætor ad Selimum Geræjum Scytharum regulum allegatus, retuleratque ſe illo primùm, mox ejus ope Halio Viſirio convento, intellexiſſe, Sarmatis Camenæcum, Podoliam, Uchraniamque reſtitutum iri, ſi ponere arma velint. Reliquis Fœderatis nullam, quibus cuperent conditionibus, paciſcendi affore ſpem; quamquam Turcæ importunitate veluti victi Sniatinum Striumve Moldaviæ urbes indixerant, ubi communiter legatorum de conciliando fœdere conventus fieret. Sed ex vultu elatiſque ſermonibus clam non eſſe, quid animorum gererent; falli verò, qui credat: tot Britannicis Bataviſque legationibus, quæ nuper per amicitiæ ſpe-

Poloni ad pacem Turcicam inclinant animum.

Quæ ipſis offerebatur ſeorſum ab aliis Fœderatis, & quibus conditionibus.

speciem pro componendis jamdiu sævientibus discordiis, Byzantii Aulam frequentaverant, quidpiam in id rei profectum fuisse; quin contra, belli cupiditatem, qua modò Rex Purpuratique ferebantur, inflammasse, inde capto fœlicitatis omine, quòd hostes nimiùm quærenda pace ab armis timere viderentur. Hæc eò vehementius Cæsarem solicitabant, quò non satis, unde Sarmatas ad bellum urgendum servandasque fœderis leges impelleret, expediebat. Quiddam hortando monendoque speraverat se profecturum, ad ipsorum Comitia, quæ per hyemem celebranda fuerant, Comitis Martinitii legatione decreta. Verùm illa ob tentatam tum Regis valetudinem dilata fuerant; & quæ sub anni exitum conventura dicebantur, bello pacem antelatura, isthuc inclinatis animis, metus erat. Querelis autem sopitam virtutem excitare, periculi plenum existimabat, ne irritati eò ruerent, quò propendebant. Non eadem ipsi a Venetis solicitudo, haud ignaro, quàm egregio apparatu bellum urgendum terra marique constituerant. Militum, ad supplendum exercitum, quantum pretio haberi potuerat, e Germania atque Italia collegerant, Baronemque Adamum Henricum Stenaum, jam antea Cæsari præfectum fabrum, nunc Bojoarii copias in Belgio ducentem, qui terrestribus expeditionibus mode-

1694. *Ceteros Turcæ excludunt, & qua de causa.*

Veneti ad prosequendum grandi apparatu bellum se comparant.

1694. raretur, in Comitis Trauntmestorfi locum suffecerant. Dato enim armorum imperio Principi Reipublicæ, bellum ex ipsius dignitate consulari exercitu gerendum decreverant. Mors interea Maurocenum oppresserat. Non tamen deferbuerant animi, re militari jam ante ejus mortis nuncium ab Senatu penitus comparata; quamquam moræ plurimum, priusquam exercitus in apertum prodiret, ut ubi majora mentem occupant, intercesserat. Primus ineunte æstate arma movit Daniel Delphinæ gentis quartus, Hieronymus nuncupatus, Dalmatiæ prætor. Is pridem Senatum admonuerat, posse, Turcica juventute e Dalmatia in Hungariam, cùm ver appeteret, digrediente, debilitatisque proinde provinciæ viribus, Citclutum loci potius opportunitate quàm munitionibus non exigui momenti arcem in potestatem redigi; in idque obtinuerat aliquot legionariorum cohortes atque Alexandrum Vimes instructorem exercitus, qui oppugnationi daret operam. Ille simul e vicinis oppidis quidpiam præsidiariorum evocaverat, jusseratque Illyriorum agmina, undecumque quæsita, præstò esse, iter, quò indictum fuisset, arreptura. Fallendis autem hostibus ne præcaverent, varia causatus, dum provinciam ad res parandas discurreret, quid sibi in animo esset, tamdiu occuluit, quoad nosset militare Turcarum robur

Quid ab illis in Dalmatia gestum.

iter

iter ad Albam Græcam arripuisse; tunc verò octo amplius peditum millia navibus ad Naronem amnem adduxit. Quatuor erant quinqueremes, biremes triginta, pluresque actuariæ. Fauces ingressus progressusque ad sextum decimum lapidem, quousque flumen majoris navigii patiens est, & quò cum equitatu Stephanus Cappellus perveneraf, in dextram ripam descendit. Parum inde confragoso in tumulo Citclutum sedet. Brevi circuitu, & rotundis interiecto solùm turribus, clauditur muro, Solymani opus, maximi Turcarum Regum, quo in potestate fertilissimum Dalmatiæ tractum ad Chulmiæ provinciæ fines retineret. Surgit ad Boream haud longius quingentis passibus collis alter duplici insessus turri, atque intermedia in valle suburbium jacet. Delphinus turres primùm expugnare aggressus, vixdum admoto ariete recedentibus Turcis, suburbanumque vicum indefensum in ditione habuit. Versæ dein catapultæ ad verberanda arcis mœnia, quæ nullo interiori aggere suffulta confestim aditum aperuerunt; & pyrolmi, confertam multitudinem lacerantes incendiariis ollis, stragem ac tumultum dabant. Quæ dum aguntur Selmanus Chulmiæ prætor cum aliqua suorum manu ad Trebisachi amnis pontem & ad vada Naronis accesserat, obsessis auxilium immissurus; verùm ab Illyriis, qui ea loca tuta-

1694.

Citclutum invadunt, Oppidum atque oppugnatio describitur.

Turcæ oppido auxiliatum veniunt & repelluntur.

 ban-

1694 bantur; propulsus, dedendæ arcis occasionem præbuit. Quingenti militari ætate, duo amplius millia reliqua turba cum re familiari, cuncti inermes discessere. Septem ac viginti minores catapultæ, una major cum non exiguo bellico apparatu ibi reperta. Muniri novis operibus locum Delphinus edixit, firmatumque mille sexcentum præsidio Vincentio Donato tuendum dedit. Non enim ad acceptum vulnus quieturos Barbaros ex eiusdem loci opportunitate, facilè suspicabatur; quippe qui permutandis ingenti lucro mercibus, frequentandæque e mediterraneis provinciis maritimæ atque Epidaurensium præcipue oræ viam sternebat, conjungebatque cum Veneto Dalmatiæ tractu Ascriviensem agrum. Nec secus accidit. Solymanus Epiri prætor adscitis Illyrici Chulmiæque præfectis Turcicam juventutem ad arma convocavit, contractisque duodecim peditum, equitum quatuor millibus Citclutum pergit. Comperto mature hostium consilio, Delphinus eò quinque provincialium millia, quotquot in proximo erant, equitesque legionarios confestim duxit. Pedites ratibus imposuit, remensusque Naronem, propiùs arcem castra communiit, tuto paludibus & amne loco; statimque trecentis armatis præsidium auxit. Solymanus non ita multo post cum exercitu adveniens, & quà Veneti castra locaverant, ad arcem acce-

Oppidum Venetis traditur.

Turcæ iterum ad ipsum recuperandum veniunt.

Veneti ad opem suis ferendam occurrunt.

ce-

cedere vetitus, illam ex adversa parte oppugnare cœpit. Prima ejus cura, insidentes colli urgere turres. Missi, qui eas circumsisterent circumponerentque vallum, Epirotarum mille quingenti & quingentum equitum ala, ad summum clivum Italici Illyriique nominis agmen obviam habuere. Commissa ibi pugna non diu perduravit, frequenti pyrobalistarum ictu propulsis Barbaris. Mox tamen cum omni exercitu redeuntes, nullo impedimento, quippe quòd inundante multitudine retineri non possent, per collis planitiem se circumfundunt, expediuntque tormenta ad subruendas turres; verùm imperite adeo, ut iis perperam libratis errarent a muro jacula: Id præsidiariis ut se se obfirmarent ac vel supra vires auderent, suasit. Tanto impetu molientes aggerem aggrediuntur, ut perterrefactos multa suorum strage de gradu primùm dejecerint, mox in apertam fugam consternaverint; & clades cumulabatur, nisi prætores in confertam fugientium turbam se se inferentes, quà ferro quà minis eos vestigio tandem consistere ac frontem vertere coegissent. In eo tumultu Delphino licuit, obsessis novam quingentum Illyriorum ac bis centum equitum opem submittere, qua recreati, validiori conatu hostem refringerent. Nec diu abfuit occasio. Is enim celeriter adductis vineis ad subita-

1694.

Felici eventu, atque hoste fugato.

1694. bitariam munitionem, qua turrium altera tegebatur, strenue ac fortiter adeo se ad eam superandam in discrimen dabat, ut, nisi parta victoria, destiturus incœpto videri nollet. Aderat ibi cum Illyriorum cohorte centurio Franciscus Viservichius, qui ad primos ordines depugnans tantum suis iniecit audaciæ, ut non modò subeuntes detruserint, sed pulsos dissipatosque ad extremum vallum sint insequuti. Quocirca Bosniæ prætor, qui principem inter æquales obtinebat locum, non amplius illic moram trahendam suorum cæde admonitus, concubiæque noctis silentio transgressus Trebisacum amnem, pedem retulit. Repentino exercitus discessu pavor ingens barbaricam circùm regionem invasit, quo Delphinus utendum ratus, Zigabiæ, Popoui, Trebinii agrum, qui Epidauriensi continuatur, vixdum ingressus, nullo impedimento in potestate habuit, ita penitus Epidauriensibus intercluso ad Turcas aditu; quod jamdiu Senatus optaverat, non ipsorum insidiatus libertati, sed ut addiscerent Venetos diligentius colere, quos nonnunquam Barbarorum freti patrocinio neglexisse videbantur. Et modò suboscurus per vulgus hominum manaverat rumor, illinc Thraces occultis nuntiis ad recuperandum Citclutum solicitatos certioresque redditos: id si negarent, de veterum, quales ipsos experti fuerant,

Contermina regionis potiuntur.

Negotium Epidauriensi-

1694.

bus faxissent, & qua de causa.

rant, sociorum salute freqnentandisque secum commerciis actum fore. Et illud additum: in Cæsaris tutelam se commisisse non deserta erga Turcas beneficos patronos amicitia; sed futuri providos incertosque, quem arma exitum habitura forent, reipublicæ suæ, undecumque possent, cavendum existimasse. Benigne auditos, docuit eventus. Halius enim Visiriorum princeps, exauthoratis ob rem infeliciter gestam Solymano Selmanoque Epiri Chulmiæque præfectis, ne impuniti ceterorum ignaviam alerent, Bosniensi imperavit, ut habito per finitima loca delectu, Citclutum illico oppugnatum rediret. Is acceptis ex Alba græca legionariorum quatuor millibus, factoque sexdecim provincialium millium agmine, eò sub autumni finem signa retulit. Quid ille tanto apparatu moliturus esset, Delphinum haudquaquam latuit, cavitque periculo, missa celeriter Citclutum valida Illyriorum manu, nec ita multo post locatis, ubi dudum, prope arcem castris, in qua partim ipse adduxerat, partim e vicinis oppidis conterminisque agris acciverat agrestis ac legionariæ militiæ robur. Inter hæc Turcæ dispositis machinis ductoque ad muros militari aggere superbe præsidiariis, ni statim cederent, minitabantur. Parum isti verbis certarunt, spreta vana illorum ferocia, quos paullo ante cæde ac vulneribus compressis-

Iis tutandis Turcæ tertio ad Citclutum oppugnandum redeunt.

1694. sissent; sed immissus Illyriorum cuneus equite Burovicho duce, tantam iis intulit plagam, ut hac una satis habuerint. Turcæ non prius quàm ad collis radices progressi, fugiendi finem fecerunt; & ubi nox atra caligine Cœlum obduxit, viam taciti, quam advenientes læto rumore confecerant, remigrarunt. Quod ubi Delphino luce prima compertum fuit, non tamen placuit hærere abeuntium vestigiis ne, si lacessiti in pugnam ruerent, partam fœlicitatem arbitrio fortunæ rursus committeret. Ita retentum oppidum quod postea Veneti, quia permagni ab hoste fieri cernebant, pluribus operibus contegere. Clobuchum quoque arcem altissimo ac prope inacessibili sitam jugo, deficiente annona, paullo ante in deditionem acceperant. Quamobrem penitus ab Epidauriensium finibus Turcæ dimoti ac Venetis oblata occasio gravius cum eis agendi, quos non satis erga se benevolos arbitrabantur. Nam antea, cùm Turcarum in clientela manebant, si quid molestum exhibuissent, incuriosius conquisitum fuerat, metu, ne id Barbaris ciendi turbas obtentui foret. Itaque Epidauro remissius primùm, deinde severius intercepti terra marique commeatus, & aliquid tandem ex ea regione prædæ abactum; quin & Michael Georgius inter primores ejus reipublicæ cives, dum lintre urbem repeteret, ab-

Veneti Epidauriensibus molesti.

abreptus, Spalati in carcerem conditur. Illi apud Delphinum prætorem querelas intermiſcere, jure agere, civis prædæque vindicias poſtulare. Verùm ſurdis auribus audiebantur. Tentatum aliquando, moderate injurias propulſare. At ampliori ſubinde accepto damno ſtatim edocti, unam potentiorum acerbitates declinandi eſſe artem, preces ac lenitatem; huc tandem ſe contulere, miſſo Venetias Seraphino Bona, qui Senatui renuntiaret: Si tot inferendis injuriis ſibi propoſuiſset, Epidaurienſes ad ulciſcendum adigere oblatum triplici Bombardæ telo diſcrimen Venetæ quinqueremi, quæ onerariæ, portum intrare conanti, prohibere aditum viſa fuerat; ſciret arcis præfecto, qui tantùm auſus fuiſset, irrogatas audaciæ pœnas. Si admoneret, ſtudioſius ab iis colendam ſocialem fidem; non dubitaret omni obſequii genere, dummodo incolumi libertate, non cultum iri. Daret præteritis veniam, maximiſque in poſterum documentis expertus diſceret, nihil eos conciliata ſibi Venetorum benevolentia pluris ducere. Placuit Senatui dictum, officiiſque ſimul Pontificis maximi, Cæſaris Hiſpaniæque Regis delinitus, Epidaurienſes in amicitiam reſtituit, ſanato vulnere, manente cicatrice. Eadem fœlicitate, qua hæc in Dalmatia geſta ſunt, per idem prope tempus Chios Inſula in Venetorum poteſtatem venit.

1694.

Tandem placati.

1694. Antonio Zeno prætori Peloponnesi Senatus Mauroceni principis, qui eum sibi moriens sufficeerat, prærogativam sequutus, supremum militare imperium mandaverat. Is conspecto bellico apparatu, quem Respublica ingentem confecerat, sibi novos Mauroceni auspiciis triumphos ominata, illam insita non fraudari opinione se quoque armorum duce, apud animum statuit. Cogitanti, quò cum rei agendæ probabili eventu ferret arma, clam nuntium accepit, Chium insulam incuriose nec valido præsidio custodiri. Ut eò se verteret, suadebat facinoris gloria oblataque spes ejus citò fœliciterque conficiendi. Conscius autem, raro Turcas negligentiæ redargui, qua una hujusce rei bene gerendæ sors nitebatur, anceps hærebat. Dum adhuc deliberat, fortè ipsum convenit Naxi Archiepiscopus latini gregis, qui rogatus, an de bellico ibi Thracum apparatu certi quidpiam haberet, exilem dixit; expositaque superandæ Urbis facilitate, Zenum in hanc sententiam vehementius illexit. Itaque ubi primùm de administrandi belli ratione consilium habuit, & alii Chalcidem, alii cum hoste terra marique confligendum proponerent; ipse postquam reliqua magnis implicari difficultatibus disseruisset, Chium in medium adduxit; qua in Reipublicæ ditionem adducta, si loci opportunitas reputaretur, nihil utilius affir-

Chium Veneta classis invadendum statuit.

Unde hujus facinoris consilium captum.

mavit; unde siquidem Byzantium e Syria atque Ægypto navigantibus dirimi cursus posset. Si opulentia, nihil feracius; quippe ubi non solùm cujuscumque fere generis commeatus ingenti lucro ad exteros deportarentur, verùm & prope singulari naturæ privilegio Mastichem Lentiscus ederet, gummi Barbaris suavissimum, e quo pecuniæ tantùm coacervari, quantum in domesticos usus legitimæ Regis Conjugi contributum, satis esset. Si denique ejus obtinendæ retinendæque spes, nihil exploratius; scilicet inopinato ac repentito hostium adventu Barbaros perculsum iri, vix non ab re bellica imparatos; iisque insuper debilitatis, transmissa illinc dudum Chalcidem præsidii parte, vires atque animos ad obsistendum non suffecturos; Venetis autem Græcæ Latinæque Religionis incolas facilem ad Turcas eijciendos (non enim multos ibi degere) laturos opem. Imperatori cupide acriterque rem suadenti cuncti faciles (verecundia an metu, raro a potentioribus dissensu) se præbuere præter militaris annonæ præfectum Carolum Quirinum, cui æque promptum videbatur, Chio potiri ac detrudi; & improvidi, ajebat, esse, in posterum non præsentire. Nam illam Turcas, quam forsitan incuriose modò habeant, amissam diligenter repetituros, intolerabili commotos vulnere, cui medendo si suum omne robur exerant, 1694.

1694. pari haudquaquam Venetos obniti posse. Chio decreta conscendere jussi pedites ad octo millia, equites quadringenti. Marino Michaelio, qui prætor Peleponneso imperabat, datæ quinæ denæ equitum centuriæ, peditum legionariorum duo amplius millia, provincialium quot ex occasione conscribere voluisset, quibus isthmum Turcis, si fortè quidpiam moliri vellent, intercluderet. Classis ineunte sextili Nauplia solvit. Quatuor ac triginta quinqueremes erant, Hepteres sex, bellicæ naves octo supra vicenas. His additæ, non leve incrementum, longarum navium septem Melitenses, quinque Romanæ, validum utræque ferentes auxiliarium globum. Parum progressas mare ingenti procella agitatum disiecit per circumjacentes Insulas, quà unaqueque sibi melius consultum credidit; iisque deinde ad Tenon insulam colligendis instaurandisque (plures enim furentibus concussæ fluctibus damnum fecerant) sextilis abiit. Illinc pelago iterum commissæ, nonis sept: Chii prospero cursu tenuere, qua vergit ad meridiem, litus. Præmissa Illyriorum cohors, aditum ceteris tutatura, proximum nullo impedimento collem insedit. Nam Turcæ opinati aliò ab iis proras directum iri, longius constiterant; inde quoque non diu post dejecti jaculis, quæ ab tergo ex ipso colle, a fronte curulia navium tormenta geminabant. In-

Ad Insulam appellit.

Fatiuoris series narratur.

Intra mœnia regressis, Veneti e classe per otium cum omni machinarum genere in terram evadunt. Confestim per anfractus viarum impeditumque arboribus iter, ubi facilè diu distineri potuissent, urbem petunt. Hæc idem ac insula nomen habet, jacetque in litore exadversus Joniam, ubi Asia peninsulæ in morem Ægeum subit. Mille passuum circumfunditur muro, quinis per totidem angulos interjectis rotundis propugnaculis, quorum unum dumtaxat ad meridiem curulium tormentorum patiens est; lataque fossa, in quam mare illabitur. Ab ea parte nobile suburbium Christianis Græcis Latinisque domicilium præbet. Ab altera sinuosum litus, constructa obstringendis faucibus mole, portum efficit, castello utrinque ad ipsas fauces munito. Insulam ab continente navigabile fretum dividit, facto duodevigiunti millium intervallo. Ea quinque ac tricenis passuum millibus patet in longitudinem, lata alicubi vicenis quatuor. Plerumque in colles assurgit nonnunquam difficiles; ad Boream nemorosa, alibi feracissima. Centum proinde alit mortalium millia. Sors illi varia. Dum Græcia floreret armis, aliquandiu libera; sæpius iis, qui mari potentiores, obnoxia. In Romanorum ditionem cum Asia reliqua, deinceps in Græci partem Imperii concessit; quousque Joannes sextus hoc nomine Pa-

1694.

Insula & Urbs describuntur.

Varia illius, & forma reipublicæ.

1694. Paleologus Orientis Imperator, anno millesimo trecentesimo sexto decimo illam Genuensibus, quorum ipse ope Venetis obstiterat, dono dedit, dum tamen ei dominatura foret patritia Justiniana gens, qua natus auxiliariæ classis præfectus operam Græco Imperio rebus in arduis fidam sedulamque navaverat. Plures illic ex ea familia stabilem domicilii sedem posuere, eaque reipublicæ forma constituta est, ut summo cum imperio Senatûs præesset, in quem Justinianorum senideni allegerentur, ex iisque unus biennii spatio consulari decore honestaretur. Hac lege jus inibi & pax rerumque prosperitas biscentum prope annos mansit. Turbari primùm cœpta septimo ac trigesimo post mille quingentos anno, quo decem scutatorum millium tributum ab Turcis insulæ impositum. In horum denique post undetricenos alios potestatem venit, dominatu dejectis penitus Justinianis, aliqua tantùm immunitate popularibus data, eaque singulari, ut qui latino ritu sacra facerent, hæc in propatulo ac libere celebrarent. Prætoria dignitate nunc ibi Kussanus quarti Mehemetis gener imperitabat; aderat armorum præfectus Bichir bello gestisque muneribus clarus, & forum agebat exacta ætate supremus olim prophanæ superstitionis antistes, illuc in exilium pulsus a Mehemete rege, quòd ipsi vehementer obsistere ausus fuerat im-

pe-

peranti, ex intactis adhuc Mystarum patrimoniis tributum colligi. Hos ætas & longa pax, mala etiam deliciarum, quæ illic affluunt, cupido effœminaverant adeo, ut ad armorum strepitum fracti metu, non consilium explicare, non vultu non mente consistere satis possent. Et iisdem animos deprimebat præsidium duum licèt millium, sed pars maxima, utpote amœno tutoque imposita loco, exhausta viribus aut luxu effœta. Quocirca adventantibus Venetis, nullam fecissent dedendæ urbis moram, nisi pridie quàm isti naves ad insulam appulissent, in portum intrassent Rhodiæ tres quinqueremes; unde strenua militum cohors educta confirmavit dubios præsidiariorum animos, ac Trierarchi ad mœnia tutanda libenter in discrimen sese obtulerunt. Itaque Veneti oppugnationem instituunt. Vis machinarum primò in castellum versa, quod in ipso portus ostio longiùs protenditur. Illinc enim infesta jacula in naves, fretum ultro cirroque obeuntes ad arcendam e continenti opem. Dum pyrolmis catapultisque majoribus verberatur, fortè fortuna vitam olla incendiaria præfecto eripuit; quo casu territi ducenti, quot inerant, præsidiarii deditionem properarunt, liberique, verùm inermes, in oppositum Asiæ litus traducti sunt. Arce subacta, portus quæque inibi in anchoris stabant tres Rhodiæ vacuæ quin-

1694.

Descriptio oppugnationis.

1694. quinqueremes, & aliquot cum centum quinquaginta nautis onerariæ in Venetorum ditionem concesserunt. Nulla postmodum intercessit mora, quin Chii, rem jam inclinatam conspicati in Zeni fidem tutelamque se dederint; non pari tamen gratulatione, ut eventus edocuit, Græci ac Latini. Hi siquidem, tria non amplius millia, æmulæ genti vix non obnoxii, republica ad Venetos traducta, primas mutata vice se habituros non dubitabant. Illi hoc ipso metu fluctuantes, conceptum dolorem vultu verbisque contegebant. Comiter utrique excepti, editumque in aliquot gregarios exemplum severitatis, quo militaris licentia compressa est, atque additus Græcis animus, ut abiecta solicitudine in victoris jus potestatemque lubentes venirent. Interea nullo impedimento, (nam Turcæ mœnibus se continebant) triplici, quà oppidum ad meridiem vergit, loco tormenta disposita quassare murorum loricam, & ignem pyrolmi in ædes atque interiora urbis immittere. Tres quoque cuniculi inducebantur, quorum alter conceptam flammam retro evomuit non sine quinquagenum Venetorum clade. Ruinæ tamen ex opposito muris aggere, qua parte humus hiavit, in fossam erumpentes nonnihil inundantem aquam dimoverunt. Re cognita Kassanus, non expectata mœnium strage, de tradendæ ur-

urbis conditionibus agere instituit; ipse ceterique magistratus fessi nimium ploratu mulierum ac puerorum, tumultu ac strepitu lugentium excidium patriæ atque imminentem sibi cladem. Citò, datis obsidibus, convenere ut cum universa re domestica tridui spatio in Asiam traducerentur, relictis Judæis, transfugis, Christianæ Religionis desertoribus ac servis omnique belli apparatu; qui sane ingens repertus, ac duodecim ducentæque murales machinæ. Re sub noctem deliberata, portam extemplo Venetis, ut convenerat, custodiendam tradere Turcæ abnuerunt, veriti nocturnos casus, surdique ad omnem interpositam rupti fœderis querelam, quòd ita violare promissi fidem viderentur. Data solùm Stenao terrestrium expeditionum supremo duci, Mocenigo castrorum præfecto petentibus intrandi facultas; quod apud belli peritos male audiit, nulla utilitate adito nimis audacter ab tanti momenti viris vitæ aut servitutis discrimine. Luce prima discessere Thraces; armatorum fuere duo millia, tria millia quicquid reliquum. Pars illico in naves traducta, pars in tentoriis habita. Utrique ad octo dies retenti, dataque moræ causa reflantibus ventis. Quamquam increbruit rumor, avaritia prorogatum transmittendi tempus, ut vitæ necessaria, quod accidit, magno emerent. Vix iis ex insula digressis,

1694.

Deditur Venetis, & quibus conditionibus.

1694. ſis, e ſpecula ſignum datur, adventare Turcarum claſſem. Viginti erant bellicæ majores naves, ſeptem ac decem longæ, quæ Boſphorum Thracium egreſſæ ad hoſtes Chio deturbandos properabant; ſimulque validiori præſidio firmaturæ Lesbon ac Mitilenem. Byzantii quippe ad primum nuntium eò navigantis Venetæ claſſis pavor ſubierat animos, ne annona durior fieret & commercia debilitarentur; qui metus in furorem Achmetem regem impulerat, indignatum, tantùm hoſtes audere, ut ſub ipſam prope regiam urbem bellum urgere non abſtinerent. Claſſem ducebat Kuſſeimus maris præfectus, hoc munere longe minor. Verùm conſilio regebatur Aſſani fortiſſimi archipiratæ, cui, parietis ruina prope confecto, ab ea calamitate ſemimortui cognomentum inditum. Is geſta prius Algerii præfectura, dein piraticam ſtrenue fecerat; nunc veluti maritimæ potens artis, Byzantium evocatus, bellicis navibus moderabatur. Utrique vel furtim per averſum litus quidpiam militum Chium inferre, vel circumducta claſſe periclitari in animo erat, an ad ipſorum conſpectum Veneti deſerta oppugnatione diſcederent; non tamen, ſi ſtarent, inire pugnam, cui ſe impares non modò navium numero ſed navali apparatu reputabant. Plus enim, quàm ut alibi ſatis forent, Danubiana claſſis nautarum

Turcæ ſerò auxiliatum veniunt, diſceduntque.

ac

ac militum absumpserat. Neutrum Barbaris 1694.
belle cecidit. Quinqueremes ad insulam, quà septentrionem respicit, admoverant, eòque leni aura impulsas majores ducebant naves. Cùm cognito, urbem deditionem fecisse, Mithylenem ad supplendum præsidium, statim ut ventus inflecteret, progredi cogitabant. Primæ conspectæ majores naves a Bartholomæo Contareno, qui cum Venetis aliquot excubabat intra Cenussos scopulos, tribus distantes ab insula passuum millibus adversùs Argennum promontorium, ubi pelagus vix fretum ingressus fidam navibus stationem exhibet. Rem ille statim ad Zenum prætorem detulit rogavitque ut sibi daret cum hoste congrediendi veniam. Zenus quidpiam interponere moræ illum jussit ac reliqua præstolari navigia mox affutura. Ita siquidem conjunctis viribus haud incertam victoriam fore. Ex hac sententia dat illico moliendi signum. Conscendunt milites, armamenta expediuntur, procedunt hepteres quatuor, duæ ac triginta quinqueremes sequuntur, & quicquid reliquum bellicarum navium, quæ cum Contareni agmine undeviginti numerabantur. Adverso navigabant vento, remisque agendæ quinqueremes erant, trahendæ remulco naves. Vix proinde bidui spatio ad Argennum promontorium, quamquam duodevicenis haud amplius distet ab Chii portu passuum

1694. millibus promotæ, nec prius quam inclinato ad vesperas die fretum egressæ, in hostium conspectum prodiere. Zeno haudquaquam e re visum, sub occasum solis ciere pugnam. Itaque Chium dimissis hepteribus, quinqueremes intra Cenussas abdidit. Contareno imperatum, ut ad freti fauces circumagendo naves se contineret. Turcæ, Assano admonente, quicquid remis agebatur, Mithylenem dimiserant; & bellicæ naves tenui propulsæ vento in obliquum enitebantur, prælium, si possent, declinaturæ. Verùm mole sua tardantes cursum, parum per noctem progressæ, sub hostium oculis adhuc manebant; orta luce non plus decem passuum millibus ab eo dimotæ. Quod ubi Contarenus vidit, prætorem illico rei admonuit, isque e Cenussis quinqueremes eduxit, quæ fune bellicas naves in Turcas ducerent; jamque Veneta hexeris prætoriam, validiores aliæ suam singulæ illuc attraxerant, unde hostium cornu dexterum muralibus jaculis feriri propemodum posset. Proposuerat Zenus concurrendi signum, & quisque lætis clamoribus victoriæ plaudebat, accelerabatque votis jam jamque surgentem austrum, qui ad Turcas ferebat; cùm repente imperator contrahi vela jubet. Ad inopinatum consilium duces, navarchi, milites fremuere. Contarenus in lembum desiliens illum convenit, monuit, oravit, ut ne certam delendæ inimicæ classis

Faustam navalis pugnæ occasionem Zenus imperator dimittit.

classis occasionem dimitteret; stare ipsam pondere suo immotam, undique telis apertam, inornatam, trepidam, non fugæ, non prælii potentem; ea concisa frangi maritimas Othomanorum vires, nec nisi iis infractis, stare Venetis Chium posse; cumularet navali tropæo partam sibi auctæ reipublicæ gloriam, ac meminisset: nihil esse fama iniquius, quæ, si quid postremò fit, laudare nequeat; præterita vel minuit vel obliviscitur. Ad hæc imperator: malle se postridie cum omni classe, quæ nondùm penitus advenerat, prælium inire; quamobrem hepteres, quæ Chium dimissæ fuerant, ad se revocasse. Itaque diei reliquum, cùm tranquillo mari ex adverso staret hostis, otio traductum est. Hepteres per noctem connixæ remis, mediæ inter utramque aciem sub lucis ortum apparuere, jamque ad interiorem jaculis hostilem classem lacerandam se comparabant; cùm Bartholomæo Gradenigo ipsarum præfecto nuncius ab Zeno affertur: a verberando absisteret, & quinqueremes ad Lesbon insulam aquatum euntes prosequeretur. Id enimvero liberas omnium voces ira & querelis mixtas elicuit; cùm præsertim consurgens ventus ex oculis Turcas eriperet, Smyrneum sinum jam prope ingressos. Tantam negligi rei prospere gerendæ occasionem Thuni Comiti Melitensium ductori grave atque indignum est adeo

1694. *Omnium fremitu atque indignatione.*

Remeatque ad Lesbon.

1694. adeo visum ut ad prætoriam hexerim profectus, magnis argumentis gravibusque precibus Zenum sit obtestatus, ne tantum in se suamque & sociorum classem dedecus admitteret. Ille tali dicto commoveri simulans, inflecti proras, irrui in abeuntes jubet. Quamquam, ut nullo periculo elaberentur, temperato alterna remigatione cursu moram traheret; quin & Contareno inflatis velis prætergresso ac sedulò properare conanti mandavit, ne sinum, succedente jam nocte, vadis infamem intraret. Interea Turcæ continuantes iter, sub Smyrnæ arcem læto plausu naves anchoris statuerant, illinc tamen (tantus eos metus incesserat) in terram digressi. Zenus, ut consilio non astu nocturnum infesti sinus ingressum prohibuisse ostenderet, ubi illuxit, eò protinus ire pergit, ac propius vacuas Turcarum naves extra majoris telis conjectum jecit anchoras. Ibi de re gerenda, veluti in diversa distraheretur, cum majoribus ducibus deliberanti rursus egregium facinus suadere Contarenus nititur, quo, quæ pridie negligentiæ aut erroris macula concepta fuerat, abstergi posset. Jacet inimica, inquit, classis ab suis deserta. Hanc mihi igne delendam aut remulco abducendam posco. Nec terreant objectæ arcis machinæ, quæ impunè illuc accedere nostras naves haudquaquam ferent. Etenim ex incertis jaculis aut leve dam-

Revocato pristino consilio lente Turcarum classem insequitur.

Ab ea telis obruenda abstinet.

Quamquam ad pugnam vehementer impulsus.

damnum aut maximo farciendum lucro. Dum alternis res agitatur, litem diremit adventus præsidentium Smyrnæ Gallicis, Britannicis, Batavisque commerciis; Consules vocant. Hi Zeno convento remotis arbitris, certam ostendunt impendere suarum mercium ruinam, si ab Turcarum conterendis navibus non abstineat. Nam sibi minaciter indictum fuisse, eodem conflagraturas incendio naves atque ipsas merces. Orant proinde atque obtestantur, ne maximam sociis nationibus perniciem non magno Barbarorum damno parare velit; existimet autem earundem erga Venetos benevolentiam hoc maxime beneficio cumulatum iri, indeque Rempublicam plus commodi, quàm captis aut absumptis aliquot navibus habituram. Et quidem humanitatis esse, quidpiam dare amicorum utilitatibus; prudentiæ eorum plures isthinc sibi parere; virtutis, nihil, quod aliis obsit, aggredi. Re ad consilium delata, quamquam absurdum videbatur, privatis pensandis ærumnis belli rationem administrare; vicit imperatoris sententia, discessum intacta Turcarum classe suadentis. Ejus bis terve dimissa delendæ occasione, Zenum errasse atque errandi auctorem habuisse Petrum Quirinum bellici apparatus curatorem, nemini obscurum fuit. Dolo an errore, quem funesta quædam mentis obstinatio sit consequuta; nihil, quod affirmem, cer-

1694.

Dehortantibus Christianorum ibi Mercatorum præsidibus.

Discedit non sine rumore acceptæ idcirco pecuniæ, sed falsò insimulatus.

1694. certi habeo. Tum ſane per hominum ora pervagatum eſt, eos pecunia corruptos tantam reipublicæ plagam, unde non parum elanguit, impoſuiſſe. Verùm nec ubi nec quo ſequeſtre pacta aut accepta pecunia fuerit, ſatis conſtitit. Chium Veneti, ubi Zenus hyemem traducendam indixerat, claſſem reducunt; decem tantùm quinqueremibus Quirino duce in Peloponneſum abire juſſis, atque aliquam commotis ibi rebus opem ferre. Etenim vixdum illinc Veneti in altum vela dederant; Turcæ, qui hactenus prope Thebas caſtris ſe continuerant, in apertum prodiere, Iſthmum tranſgreſſuri. Ad hujus fauces Marinus Michaelius quicquid ſibi militum relictum fuerat, tuto loco in ſtativis habebat. Lævam Corinthiacum ſuburbium, dextram collis duplici inſeſſus caſtello, frontem gemina pariter munitio protegebant. Eò Turcæ progreſſi, cùm nec hoſtem ad pugnam elicere nec intra vallum aggredi poſſent, Megaram ſe retùlerant. Cognito deinde Chii periculo, ut illud pari objecto diſcrimine aut averterent aut ulciſcerentur, in Peloponneſum arma rurſus inferre, conſilium capiunt; cùm præſertim Liberius Græcorum ductor hæſitantibus exemiſſet metum, pollicitus iter tutum atque expeditum; eòque diligentius navaturus erat operam, quo ſuum in Venetos odium extimulaverat abacta ſibi dudum, non ſine

Turcæ Peloponneſum intrant.

sine aliqua suorum cæde, ingens præda e privatis prædiis, quæ ultra Corinthium sinum possidebat. Octo peditum millibus ac turmis aliquot constabat agmen. Primo die castra posuit haud procul ab hostibus; qui dum, quà illud progredi vellet, ambigunt deliberantque, orta luce comperiunt, nocte per viarum asperitates montesque saltubus impeditos jam prætergressum, Argos petere, arboribus ferro, villis, quà incederet, incendio absumptis. In castris aderat Trautmestorfi Comes, qui paullo ante supremus militum præfectus commeatum acceperat, sed cùm non statim quisquam ab Senatu in ejus locum suffectus fuisset, in Peloponnesum Venetiis redierat, bellicam ibi rem, dummodo primas ageret, curaturus. Is cum equitum ala confestim movit, ratus facilè in fugam terroremque præeuntes hostes, carpendo postremos ordines, conjectum iri. At falsus fuit. Nam ubi advenientem sensere, peditum partem in imminentibus locant viæ tumulis, ac micare telis incœptant; quam tempestatem Trautmestorfius subire haudquaquam ausus, pedem retulit. Consultanti Michaelio cum reliquis ducibus, quod arcendæ vastitati remedium foret, satius e re præsenti visum est, equitatum omnem (mille, ut diximus, & quingenti erant) Lanoio duce in id suam dare operam; fore ut hostes vel in prædam ef-

1694.

Venetis[s]o opponunt.

1694. fusos, ingenti cæde; aut in aciem eductos permissis equis afficiant ingenti metu. Non enim ab se tentandam justi prælii fortunam peditum numero longe imparibus, quorum legionarii duum non amplius millium explerent summam, provinciales vel morbo vel timore vel voluntate domum discessissent. Argos Turcæ pervenerant ac fœdis ubique relictis feritatis vestigiis populabantur. Id ne impunè ferrent, Lanojum exacuit; concurrit, pugnat, infert ferociter equos. Horum impetu inclinavit pedestre Barbarorum agmen. Sed citò compositum ad pugnam redit, atque adeo scite gladiis ac telis hostem impellit, ut dissolutis ordinibus equites tumultuarentur. Lanojus ad prima convolans signa, duas jubet ex equis turmas desilire, instructasque retinere stabili pugna ingruentem hostem. Non diu certamen tenuit affluentibus undique Turcis, & pars circumvecta oppositum ab tergo hostium collem occupatum ibat. Quod conspicatæ, quæ postremæ erant, Venetorum turmæ fugam, ne circumclauderentur, capessunt. Eas reliquæ sequutæ, primos ordines, qui adhuc obnitebantur, contrucidandos hosti deserunt. Nox paullo post fugientibus salutem attulit, quorum non plus ducentis haustum jugulum, vix cruenta Barbaris victoria. Hi biduo deinde grassati adversus agros, tenui ex inopi regione præ-

Sed frustra, nec sine suorum cæde.

dæ

da remigrarunt, veriti occludi sibi Isthmi fauces, cùm proxima Venetorum præsidia eò in agmen coitura pergerent, ac decem, ut narravimus, e Chio quinqueremes jam prope ipsas fauces ad Saronici sinus litus pervenissent. Venetias captæ Chii fama prius externis literis, mox ab Zeno imperatore nuntius advenit. Manavit inde mira in vulgus lætitia, eaque incredibili plausu celebrata, cùm primo quasi aspectu occurreret in omnium oculos nobilis ac dives insula in Reipublicæ ditionem redacta; & rara sit, dum gestit animus, funesta futuri species. At Senatorum gravissimos tacita mordebat cura, longiùs intendentes mentis aciem cogitantesque: satis esse quidpiam potentioribus eripere, quod ereptum minus doleat; eos autem abigi ab se magnam prædam, nunquam patienter atque inultos pertulisse: nec nimis irritandos, qui se brevi negotio, dummodo contendere vires velint, ulcisci queant; quique si aliquando leviores plagas negligenter curasse videantur; id non imbecillitati, sed incuriæ, cùm alibi major urgeret necessitas, tribuendum esse. Quid, si Turcæ modò in regiæ prope urbis óculis Chio detrusi, acerbissimum telum intimis visceribus hærere sentiant? Non ne ad illud eruendum præcipuo ac validissimo conatu accurrent? & si hanc sibi potissimum sumant operam; quæ tum Venetis

1694.

Turcæ longius regionem populati recedũt.

Venetiis captæ Chii ingens lætitia.

Ea capta a prudentioribus reprobatur, & qua de causa.

1694. netis affulgeat obnitendi ſpes adverſus quotidie ſupplendos e proximo continenti; nullam ipſis, dum mare furit hiberno tempore, tardam alio quocumque habituris opem? Illinc verò dejectis, qui non aderit metus amittendæ Peloponneſi, tantò iſthuc repentè traducto (ut proſperi ſucceſſus oblataque occaſio faciunt animos) armornm turbine? Itaque priuſquam Barbarus irruat, ab Chio diſcedendum utendumque altero illo bellicæ artis documento: vim, cedendo, præcavere; cum jam (quod eſt primum) haud amplius liceat facinore abſtinere, cui abſolvendo tuendove ſatis non habeas virium. Addebat prudenti conſilio fidem, illatum per id temporis Peloponneſo periculum, cui prævertendo Veneti, dimota claſſe, impares fuerant, & hujus tantùm redeuntis opinio extinxerat. Adeo inibi majori copiarum robore excubandum eſſe. Quæ licèt vera, nemo tamen Senatui e ſuperiori loco ſuadere aggreſſus eſt; metu, ne cùm omnium occupaſſet mertes præſens lætitia, nihil quod eam corrumperet, ad aures admitteretur; atque invidi nomen ſubiturus eſſet, qui gliſcenti Zeni gloriæ quidpiam detraheret. Idque eò pervenit, ut nemo illum neglectæ navalis victoriæ inſimulare palam adortus fuerit, quamquam rei fama liberis auxiliarium quærelis, & non obſcuris Contareni ad Senatum literis increbruiſſet.

ſet. Itaque decreta imperatori equeſtris dignitas, Steinao gemmatus enſis, novique apparatus ad Chion retinendam; cujus duo maxime augebant ſpem; unùm, quòd eam novis munitionibus communiri Zenus imperaverat; alterum, quòd Achmetes aqua intercute gravibuſque, aula fluctuante, oppreſſus curis, huc non adjecturus animum videretur. Enimvero audita Byzantii propinquæ opportunæque inſulæ deditione timor durioris annonæ cives cœperat, ſimulque pudor, Othomanicum imperium, intimo nimiùm vulnere dilaniatum, hoſtibus jam tandem ludibrio eſſe. Hinc, veluti increbreſcente aura pelagus, moveri ſeditionis fluctus, ac de Achmete exauthorando ſufficiendoque Muſtapho in patrui locum ſermo nunquam prorſus extinctus iterum celebrari. Subjiciebant incenſis animis flammam Chienſium militum præfecti, qui per ignaviam prodidiſſe urbem inſimulati juſſique ejus deditæ cauſam apud Viſirium dicere, ab ſe periculum in Regem vertere conabantur. Deerat, qui tumultus auctor fieret, inconditamque multitudinem imperio regeret impelleretque, quò foret opus. Eques prætorianus inventus eſt, homo impiger nec infacundus, qui Adrianopoli, ubi tum Rex diverſabatur, ſignum ſeditionis extollere non dubitavit. Dum enim frequens conventus in Selimi delubro ad prophanas cæremonias ageretur, ille

1694. Præmia Zeno imp. aliiſque data.

Chio amiſſa, Byzantii fluctuant Cives, ac ſeditionem meditantur.

Orta Adrianopoli, ubi Rex morabatur, extinguitur, & quomodo.

1694. ille reipublicæ vulnera, ipsamque non effætis viribus sed negligenti imperiti moderatoris cura periclitantem; statuere e superiori loco in omnium oculis adortus, consopitam suæ gentis virtutem dixit jam tandem excitandam esse, nec permittendum, unius infelici fato an desidia tantum imperium ad interitum ruere. Adesse regiæ stirpis adolescentem indole ætate magnisque animis parem oneri, quem nimiùm diu exoptatum si fors adhuc differt gubernaculis admovere, bonorum esse civium, casum consilio emendare atque eniti, ut nulla mora suffectus inopis ingenii desperatæque valetudinis Patruo, præcipitantem rempublicam teneat; quæ ubi primùm inclinare cœperit, ut magnis substructionibus accidit, non difficili molimento erigi potest; collapsa perpetuis ruinis involveretur. Quid igitur in tanto imperii, ac religionis discrimine torpetis cives? Cur non mecum arma capessitis, & quam debemus patriæ ac Mehemeti nostræ religionis auctori, fidem non exolvimus? Magna facinora cæco impetu, ne primo terreant aspectu, aggredienda sunt. Inchoata facilè perficiuntur. Hæc vociferantem interrupit Concio in diversa tendens. Alii siquidem scelus aversati, & ne longius audiendo, participes ejus fieri viderentur, cursu e portis se proripiebant. Alii dictis annuebant feroci fremitu ac tumultu. Ille e

fug-

ſuggeſtu deſiliens, priuſquam tepeſcerent animi, 1695.
ſemel incitatos trahit ſecum, diſcurrenſque per urbem ad arma vocat, augetque turbam. Jam prope ſubibat mœnia Benlius Huſſeimus, militiæ dudum inter majores præfectos, exilioque ob noxam damnatus, conjuratorum unus, qui, ut antea condictum fuerat, ſociis adjuvandis globum collegerat vagantium ſub ſignis militum, vim obnitenti Regi facturus, ni primo ſtatim impetu concidiſſet. Verùm duo centuriones, vixdum ſeditioſus haberi ſermo, & plebs commoveri cœperat, clam ſe proripientes, rei nuntium ad urbis præfectum detulerant; iſque confeſtim domeſticis, & quotquot, dum iret, Janizarorum occurrit, ſibi conjunctis, equo illuc advectus, comperit concionabundum equitem agmen, ut creſceret, circumferre. Incautum nec firmo adhuc robore minitantem opprimit, hauſto ſimul vicenis aliis jugulo, qui obſtinatiores ejus lateri adhæreſcebant. Reliquos fugientes proſequutus, qui nondum latebris ſe contexerant, ferro detruncat; alios domibus eductos lictori necandos tradit. Interea prætorianorum cohortes adverſùs Benlii tumultuarias copias extra urbem ſe ſe effuderant. Non tulit ſubitarius miles legionariorum impreſſionem, ac vix inito prælio terga dedit. In fuga plures cæſi, non pauci cum Benlio capti, iiſque omnibus ſtatim

1695. tim laqueo cervices fractæ. Ita non magno motu concita simul compressaque seditione, tumultus evanuit. Anxius tamen Achmetes, ne si querelarum maneret causa, illa reviviſceret; quin & insita elatus superbia, Chium actutum Visirio finitimarumque provinciarum prætoribus recuperandam, & si fallerent, capite daturos pœnam, indicit. Huc igitur solicite versa est omnium cura. Sæviente hyeme viginti bellicæ naves, quatuor & viginti rostratæ Hellesponto in altum progressæ, Phocææ Cumarumque Æolidis tenuere portus. Totius classis imperium Kussaimo prætori; navium Assano, cui, ut dictum est, Semimortui cognomen erat; terrestris maritimæque expeditionis Miseroglo datum, bellicæ virtutis famam, cum paullo ante maris præfecturam gereret, consequuto. Ibi non satis iis licuit ornare classem. Quamobrem (dum interim Cumis, unde brevis in adversam Chion transvectio est, exercitus ad vicena millia, ut imperatum fuerat, colligitur) Smyrnam ad supplendum nauticum apparatum iter continuant. Venetæ majores naves prope Cenussos scopulos in statione erant. Earum præfectus Hieronymus Priolus, qui Contareno successerat, conspectam longius hostium classem, Chion ratus oppugnatum ire, Zenum imperatorem de re commonuit. Is consilio repentè habito, majores duces, quid optimum cen-

Turcæ ad recuperandam Chium versi.

Summa hyeme illuc navigant

censerent, paucis rogavit. Anceps erat, navali ne robore propellendus ab insula foret hostis, an terrestri pugna cum eo confligendum tolerandave obsidio. Maritimum prælium, quamquam Veneti navium peritia & numero pollere viderentur, dubium reputabatur, quippe vigens per hyemem Boreas hosti faveret. Nec terrestre minus periculosum, incerta Græcorum incolarum fide, qui rem illic publicam gerentibus Venetis, primas acturos latina religione cives, longe hactenus ut minores numero, ita & auctoritate, quammaxime aversabantur. Oppidum quidem, novis operibus plurimisque machinis communitum, facilè armis defendi posse quoad ineunte Vere suppetias, & quicquid opus ad repellendos hostes, acciperet; sed ex arctiori annona timendum, ne tandiu duraturum esset. Verior visa sententia est, quæ hostili classi vetare insulam suadebat. Quamobrem quinqueremes hepteresque solventes e Chii portu, facto cum navibus, quæ ad Cenussos erant, agmine, in freti faucibus se statuerunt. Jam Turcæ Smyrneum in sinum deflexerant, tempus transmittendo idoneum præstolaturi. Quod Veneti consilio declinandæ pugnæ factum existimantes, negligentius ex ipsorum contemptu sibi deinde consuluerunt. In portum regressos cœpit adeo sui fiducia, ut militaris disciplinæ vix non prorsus obliti, in om-

1695. *Veneti quo pacto se opponant, incerti.*

Classi illis occurrendũ statuunt.

1695. *Sed appellentibus ad Asiæ litus Tracibus in portum redeunt.*

omnem blandientis fortunæ illecebram, invitante civium & regionis indole, simulque anni tempestate (nam baccanalia agebantur) se se effuderint, ac licentius, quàm per belli tempus, animum remiserint. Id occultis nuntiis Miseroglo referunt Græci atque adhortantur, longiorem non traheret moram, neve occasionem dimitteret opprimendi hostem sibi indulgentem, armorum jam prope immemorem. Extemplo conscendunt milites, armamenta expediuntur. Fortè, dum Smyrnam appulerat Turcarum classis, actuariæ plures Britannorum Batavorumque naves in portu stabant, quibus maris præfectus dare iniussu suo vela interdixerat, veritus ne Chium commeatus adducerent. Ex iis modò nautas libratoresque tormentorum grandi pecunia haud invitos ad se traduxit, operam navali prælio daturos, quo confligendum non dubitabat. Ita diligentissime instructa classis, cùm nondum mitesceret hyems, e portu solvit. Procul visa, quò proras obverteret, Zeno renuntiatur. Primùm non satis nuntio habita fides. Mox, ubi adventare, auditum; alii vela, alii arma, cuncti bello idonea expedire, & quò ægrius ab otio distrahebantur, eò ferocius hostibus minitari. Eductæ quinqueremes viginti, hepteres quinque, eodemque die cum vicenis navibus, quæ circa Cenussas insulas in statione erant, conjun-

Incurioseque vivunt.

Qua de re moniti Turcæ, instructa iterum classe, in eos movent.

junctæ in apertum prodiere. Nocte conciderat ventus, lenis tamen flatus alto collectus pelago Turcicas naves admovebat. Majores viginti Assano duce præibant æquata fronte; quatuor & viginti quinqueremes prosequebantur: Par Venetis consilium erat, tractasque remulco majores suas in dextrum cornu, in sinistrum hepteres digerebant; sed ita negligenter aut imperite, ut nusquam ordine constiterint. Primæ sex bellicæ propius hostem ductæ initium pugnæ fecerunt. Assanus tela, quoad suæ interiores fierent inhiberi jussit. Statim ut in propinquo fuit, in eas, dum ab reliquo aberant agmine, suarum senis denis circumseptas, certo frequentissimoque ictu jaculari cœpit, dato signo ut vela potius atque armamenta ferirent, quàm navis alveum; non difficulter hunc siquidem in ipsa pugna instauratum iri; illorum vulnus immedicabile. Hac arte ingeminant jacula, vomuntque flammam tormenta. Inter hæc Venetorum proprætoria navis ignem concepit, qui in alteram, dum ad opem ferendam inscienter subit adverso vento, transgressus, utramque misere devoravit; nec ita multo post idem casus ingenti boatu aliam discerpsit. E sex illis incaute propius hostem admotis tres, quæ supererant, majori periculo involvebantur; & subprætoriæ, cui Nicolaus Pisanus

1695.

Pugna navalis committitur, quæ describitur.

1695. præerat, mali antennæque telis fractæ deciderant; quin & plurima nautarum & militum nece debilitata mox in prædam hosti cessura videbatur. Verùm sauciam atque immobilem ex ejus faucibus eripuit Bartholomæus Contarenus, qui pugnæ privatus intererat. Is enim, cùm secundus tandem aspirare cœpisset ventus: tenenda, inquit, occasio est; dum vita ac libertas agitur, nemo publicæ servatæ salutis, privato licèt consilio, redarguitur. Ad rem aggressus, duas jubet, quas nondum vires prorsus defecerant, audacter in totidem hostiles, subprætoriam ad interitum verberantes, irruere ac jaculis submovere. Cesserunt illæ audacia conterritæ, dederuntque prius Venetæ alteri jam prope enectæ, mox & binis reliquis spatium periculo se subducendi. Sub idem tempus quatuor Turcarum majores cum quinque Venetorum hepteribus inierant pugnam, variante belli fortuna. Nam hepterum una detersis remis, cùm non amplius ab se repelleret hostes, ab ipso Contareno, illuc celeriter profecto, opem accepit. Vicissim ex eodem agmine barbaricæ alteri ob illata duplici ab heptere vulnera vacillanti ac mox perituræ salutem attulit prætoriæ Venetæ periculum, ad quod propulsandum illas avertere opus fuit. Kussaimus enim, dum majores naves concurrerent, Marsque suis arrideret, rostratas luna-

ta

ta fronte in hostem induxerat. Et Venetæ quinqueremes imperatoris jussu ad prælium se se adornaverant. Adeo tamen trierarchorum plures occupaverat acceptæ a majoribus navibus ærumnæ aspectus, ut alii tarde pulsis remis non æquarent frontem; alii ad primos tormentorum hostilium ictus inhiberent; tota denique classis dispersæ incertæque similis conspiceretur. Zenus frustra illam colligere atque ordine componere conatus, impari numero hostem excepit. Irruentes Turcæ toto agmine paucas Venetas obviam habuere; procul ceteræ jaculabantur. Prima quæ improvide se longius protulerat, Marini Georgei rates memorabile exemplum præbuit. Mortuo siquidem, dum suos manu & voce ad pugnam acueret, trierarcho, ceciderant classiariis animi, detrusique ad puppim, sustinere subeuntes e quatuor quinqueremibus Thraces haud potis erant; cùm sociæ tres hac illac errantes in tempore affuere periclitanti, factoque impetu hostiles, quæ illam circumdabant, in fugam dissiparunt; interim a Dominico Badoaro navarcho immissa per obsessæ puppim militum manus Barbaros detrusit, septuaginta captis, rateque in libertatem vindicata. Longe majus impendebat negotium circa prætorias. Kussaimus plurium suarum præsidio hexerem Venetam invaserat parva suæ classis parte circumfusam, urgebatque 1695.

1695. que tela remigiumque adeo ferociter, ut vix illa ingruentem eluderet, ne harpagone colligaretur. Zenus, quicquid bellicæ artis erat, ſumma cum laude conatus, poſtquam vidit omnia periculo minora eſſe, ne diutius creditam ſibi publicam dignitatem in dubiam certaminis aleam committeret, duas illas, quas memoravimus, hepteres ad ſe ſtatim venire juſſit, earumque vi obitum adhuc diſcrimen in hoſtes vertit, fracta ipſis quinqueremium altera, ceteris ne ictæ majoribus tormentis naufragium facerent, ſtatim celeriterque inhibentibus. Octo jam prælium horas comſumpſerat, & nox properabat; quam cùm neuter in rem ſuam duceret mediis in fluctibus traducere, altrinſecus ſeceſſere, Turcæ ad Argennum Joniæ promontorium, Veneti ad Cenuſſos ſcopulos. Quieverant ambo decem dies reficiendis navibus; cùm Aſſanus aquilonem nactus ſibi ſecundum, Venetis prohibentem quinqueremes credere turbato mari, majores naves in hoſtem duxit. Advenienti Contarenus cum ſuis bellicis repente obviam fit. Concurrunt, jaculis certant, dilaniantur ancipiti Marte, quamquam Venetæ pauciores & quædam claudæ. Sed nauticæ peritus Contarenus ſupplebat conſilio vires, & plus quàm poſſet, poſſe videbatur. Non prima erat urgendi prælii Aſſano cura; ſed ita, veluti per negligentiam, mode-

Nocte dirimitur.

Iterum certatur.

moderandi cursus ut inter longas bellicasque hostium naves extemplo medium se immitteret, atque inde in quinqueremes versus, certam ipsis perniciem pareret. Verùm non is erat Contarenus, qui facilè decipi dolo posset. Comperto, quò tenderet hostis, artem elusit admotis bellicis navibus propius Cenussos, interclusoque ad Venetas quinqueremes aditu. Assanus sua spe delusus (& jam sol occidebat) in obliquum tendens pugnam deseruit. Solutis præsenti periculo Venetis, quantum illud fuisset, ut cum se respicit animus, in mentem venit; ei verò, ne rediret, cavendo, rostratæ Chium traductæ. Nocte concubia discedunt, brevique mora, cùm eò ferret ventus, portum tenent. Ibi de republica inter Zenum majoresque navarchos agitari consilia, cœptum. Occurrebat animo classis tribus incensis navibus, quassatis pluribus labefactata; imminutus exercitus duum millium nece, eòque magis, quòd & multo patritiorum sanguine dolenda clades; durior in dies annona, ac propediem in famem desitura infidis Græcis incolis, mari ab Turcis infesto. Quin & rem sibi ad internecionem vergere suspicabantur, mox iis in insulam paratas in adverso litore ingentes copias classe transmissuris. Utque omnia in deterius metus auget, Peloponneso timebant anxii, ne per Isthmum hostis irre-

1695.

Utrinque receditur.

Veneti de Chio deserenda deliberant.

1695.

Discessum decernunt.

irrepens, brevi prope indefensam subigeret, nisi periclitanti celeriter subventum foret. Hæc adeo valuere, ut nemo illuc extemplo traducendam cum exercitu classem dissenserit. In eo variatum sententiis est, an valido præsidio Chios munienda retinendaque decerneretur. Ad semestrem propugnationem Justinus Ripa, cujus tutelæ oppidum commissum fuerat, duo non amplius petebat legionariorum millia; sexcentos ab latinis civibus additum iri suæ gentis, ajebat, qui pro patria repellendaque servitute conaturi extrema forent. Satis in id commeatuum pecuniæque parari posse; nec nisi facto virtutis experimento cedendum arce, si propugnacula inspicias, haud parum valida; si machinarum vim, instructissima; si propugnantium animos, non facilè superanda. Intentatam, subijciebat, reliquisse nemo reprehenderet; abiecisse acquisitam, nemo non vitio dabit. Nec laudari, qui male sanum consilium ignavia luat. Nihilo secius pars major deserendam censuit. Non enim ope longinqua & infestis plerumque popularibus diu retineri posse adversùs hostem potentissimum, qui eam in faucibus habeat. Fructuosum verò non esse Reipublicæ, debilitare Peloponnesi præsidium, ut brevis Chii dedendæ mora protrahatur. Ex hac sententia discerpi nitrati vi pulveris munitiones, corrumpi machinas, vasa col-

Quamquam de Urbe saltem retinenda admoniti, rogatique.

colligi, armamenta expediri, conscendere milites, dari vela confestim edicitur. Quod ubi latinæ religionis nobilioribus incolis cognitum, in lacrymas & ad pedes effusi, vix sui ex immenso dolore compotes, Zenum orare atque obtestari ut ne fidissimos socios in Barbarorum, quodque magis horrerent, in Græcorum, æmulæ gentis, potestatem abijceret, aliorum odium, aliorum crudelitatem saturaturos. Non ita se de Venetis meritos, ut in tantam calamitatem, qua sibi nulla major, conijcerentur. Esse Reipublicæ vires, quæ sæpius contusum hostem valeant rursus contundere. Sibi adeo ex impendenti ruina atque e firmissima erga liberatores suos fide crevisse animos, ut pro vita & libertate nihil non ausuri viderentur. Itaque non spem præciderent, non prius quidpiam decernerent, quàm quid possit aut velit hostis, conspicati. Sera consilia, ubi pavor ea dirigit, saniora esse. Cùm triste responsum accepissent: Marte suo sibi consulerent; in eos Rempublicam suas intendere modò vires haudquaquam posse; veluti alienata mente procubuerunt, moveruntque astantibus fletum. Jussi deinde forti animo adversam fortunam ferre, Zenum rogarunt, ut iis, quibus exilio durior futurus esset superbus irridentium Græcorum aspectus Turcarumque præter modum acerbus ob mutatam fidem domi-

1695.

Ingens latinorum luctus.

Ac miserabilis discessus.

1695. natus, liceret eò claſse tranſmittere, ubi miſeris aliquam domicilii ſedem boni Superi daturi forent. Facta, quotquot pluribus liceret, conſcendendi copia, ſimulque honeſtæ ſpes vitæ nec inſuavis. Non omnibus, qui tranſvehi poſtularunt, navigia ſuffecerunt: Manere coacti, aerem querelis implebant invidebantque tranſmiſsuris. Et horum ſpecies non minus luctuoſa ac miſerabilis erat. Ibant ad litus attoniti cum conjugibus & parvis liberis, aliqua etiam, quæ minus impediret, re domeſtica, modò cœlum modò patriam reſpectantes; illud, ut flebili ſpectaculo ad miſericordiam adducerent; hanc, ut ejus deſiderium, quouſque poſsent, aſpectu delinirent. In naves ipſi ac milites adeo feſtinanter compulſi, ut rei gerendæ moderari metum pateret. Non ſubducta e mœnibus, ne ſua quidem nuper addita, curulia tormenta. Bellicus apparatus in urbe; captiva Turcica quinqueremis, biremeſque aliquot in portu; quidpiam equorum in inſula derelictum. Ignis per ſulphuratum funem ad nitrati pulveris caveas, unde munitiones ſubverterentut, ſic negligenter immiſsus, ut non ignoratus a Græcis in tempore extinctus fuerit. Maxima denique oneraria navis, qua duodeviginti majores obſidionales machinæ vectoreſque plurimi revehebantur, in ſcopulos ad portus oſtium impacta, cùm remulco non facilè

expe

expediretur, dimissa. Ita sæviente adhuc hyeme IX. Kal. Mart. Veneti fugæ prope simili discessu, quamquam hostis Cumis instaurans naves nihil instabat, Chio profecti Naupliam rediere. Ille confestim invitantibus Græcis, nullo sui discrimine, & lætus alieno timore, in insulam se restituit. Ibi in Latini nominis incolas feritatem effudit. Quatuor primores laqueo suspensi. Alii exulio, alii publicatis bonis pœnas luerunt. Templum ipsorum majus impio Mehemetis cultu profanatum, reliqua diruta. Iisdem vetitum, suo more suisque legibus, ut hactenus, vivere; & si Christianam religionem sequi vellent, non alio quàm Græco ritu sequerentur. Maritimam cladem Chiumque desertam ubi Venetias rumor primùm horrida, ut erat, specie; mox Zeni literæ, mitigata ærumna, detulerunt, ingens urbem incessit luctus excitatæque eò liberiores, quò compressæ ob rerum prosperitatem prius fuerant, in illum querelæ. Et hæ quidem principio Senatum ancipitem habuerunt, præsenti ne solùm malo medendum modò foret, an simul in ejus auctores inquirendum. Manebat adhuc invidia abrogati Dominico Mocenigo imperii ex improspera Cydoniæ oppugnatione, quam Zeni præcipue factionem ei vitio vertisse, vulgus mussabat; urgebantque plures exemplum in Zenum ipsum, manifesto,

1695.

Turcæ Chium redeunt.

Desæviuntque in latini Ritus incolas.

Venetiis nuncius desertæ Chii male audit.

Senatus ea de re deliberat.

1695. stò, ut per hominum ora ferebatur, male administratæ reipublicæ deprehensum. Aliorum sententia erat, quodcumque tempus iis judicandis idoneum esse, in quos, ubi lubeat, legibus liceat animadvertere. Unam nunc restituendæ armorum fœlicitati, quæ vixdum inclinata, ni statim erigatur, præcipitat, navandam operam; cùm præsertim non esse e republica videretur, sub Veris initium revocare ab exercitu imperatorem majorumque ducum aliquos, qui erraſſe deferebantur. Nihil enim intempestivo remedio periculosius. Verùm severiora consilia Senatui demum placuerunt, ad ea capessenda vehementer commoto gravissimis concionibus Jacobi Minii & Petri Garzonii, qui rem totam libere accuratissimeque Italicis literis consignavit. Summa sermonis fuit: satis compertum videri, bis ad Cenussos navali prælio rempublicam fuiſſe male gestam; primo ob neglectam fraude victoriam; altero ob corruptam ignavia disciplinam. Hæc silentio præterire, ignorantis esse patrias leges; impunita relinquere, contemnentis. Utrumque in libera civitate, quæ in una legum tutela est, capitale. Huc itaque præ ceteris adijciendum animum. Convalescere quippe neminem poſſe, nisi adempta mali causa. Ea manente debilitari potius remediis affecta corpora, quàm revirescere. Quocirca mittendos, qui e majorum

Ac tandem severe judicat.

rum instituto de militari statu cognoscerent. 1695.
Novum maris præfectum, novosque navales duces in eorum locum sufficiendos, qui minuisse Venetam majestatem communi existimatione redarguebantur. Nam id primum in bello, bona apud milites imperatoris fama, ejusque strenuitatis opinione facta ipsis rerum secundarum spes. Non tamen supplendæ classis augendique exercitus negligendam curam.

Ejusdem Decreta.

Ex hac sententia Antonio Zeno successor datur Alexander Molinus, cui ex Peloponnesi prætura promptum ad classem iter. Bartholomæo Contareno majorum navium imperium rursus extra ordinem committitur. Petrus Nanius & Franciscus Grimanus rei bellicæ curatores decernuntur. Petrus Quirinus, qui hanc præfecturam gerebat, Carolus Pisanus, qui vicariam, Antonius Zenus maris præfectus ac decem trierarchi Venetiis causam e vinculis dicere objectumque amoliri ab se crimen, Jacobo Minio quæsitore, jussi. Quæstione instituta, Zenum Quirinumque judicio subtraxit mors opportuna. Reliqui triennium, quod inquirendo absumptum est, carcere conclusi, satis dedisse pœnarum crediti dimissique sunt.

Pœna pluribus irrogata, quæ & quibus.

Paratæ ornatæque raptim quinque majores bellicæ naves impositique milites ad tria millia quingentos, novo delectu aut ex præsidiis conquisiti. Satis hæc ad refrænandam invalescentium,

Classis exercitusque suppleta.

re

1695. re fœliciter ad Chium patrata, Turcarum audaciam fuerunt; quamquam altera defecisset spes, Achmetis morte Othomanorum imperium domesticis discordiis involutum ac turbatum iri. Postridie Non. Febr. fato ille cesserat, dum adhuc Aula fluctuaret, ignara quid Chia expeditio paritura foret, & an Byzantii maneret ex accepto illic vulnere animorum motus. Id Mustapho, quarti Mehemetis jampridem exauthorati filio, salutare accidit. Nam intimi potentiores Aulici conspecto suæ gentis periculo, si alter ex Achmetis liberis adhuc infantibus ad regni gubernacula admoveretur, matre puerilem ætatem rerumque arbitrium moderatura; magno consensu ut in subitis rebus, illum e custodia eductum circumlatumque per regias ædes, regem salutarunt, crescente, quà iret, plaudentium turba; inscia, quid ageretur, sed probabili consilio sequuta rem præsentem. Perculit inopinatum facinus Halium Visiriorum principem, qui de sufficiendo Achmetis filio clam cum Matre constituerat. Non tamen obniti ausus est, trepidantibus, ubi rerum caligo, mortalium animis ne in incertum audeant. Quin ad Mustaphum compresso dolore gratulatum venit, excusavitque moram, comiter exceptus, simulante non minus Rege; cui supremo dejicere magistratu potentissimum virum, ut sunt initia

Achmetes moritur, cui Mustaphus succedit.

Turbarum idcirco in Aula metus, sed citò compressus.

tia imperii timidiora, non satis tutum videbatur. Reliquis paternos clientes substituit, placuitque adeo civibus solertia, justitia, factaque sui spe, ut communis illa animorum concitatio, quæ vivo Achmete turbas minitabatur, eo mortuo ob commotam ab novo Rege rerum secundarum expectationem prorsus quieverit. Erat illi, trigesimum primum agenti annum, juventæ robur, majestas oris, & grata in ærumnis populo frequens bellicarum virtutum commemoratio, quibus Majorum suorum plures floruisse gloriabatur; quasque se dum sæpius promitteret æmulaturum; cujuscumque ordinis homines in fiduciam inducebat, iisdem, quibus coaluisset, artibus Turcicum imperium in pristinum decus restitutum iri. Nec defuit studium. Primam regnandi curam eò detulit, ut Miseroglio, ni statim Chium recuperaret, confligeretque navali prælio cum Venetis, capite daturum pœnas indixerit. Quod, præoccupato nuntio, fœliciter gestum (ut plerumque sunt homines ad prævertendos opinione lætos eventus proni) in omen cessit, auxitque Mustapho animos, ut bene illic incœpta alibi urgeret. Ergo Ibraimo armorum in Græcia præfecto pari severitate mandavit, Peloponnesum, quàm posset celeriter ferociterque, invaderet. Contrahendis tumultuario delectu copiis, quas veteribus adjungeret,

1695.

Quid initio gesserit pro imperii curanda fœlicitate.

1695. ret, colligendisque Græcis Liberio perduelle duce, quidpiam dare temporis necesse habuit. Æstatis initio duodecim secum adductis Turcarum, tribus Græcorum millibus ad isthmum castra posuit. Dum illic moratur, speculatum misit, quid hostis ageret, & quantis polleret viribus; tentare simul aggressus popularium animos, edictum præmisit, quo Visirius præmia & immunitates in pristinam Turcarum potestatem redituris pollicebatur. Subsequi deinde cum mille trecentis armatis Liberium jussit, ut blandiendo minitandoque impressionem daret. Movit Liberius, notum iter ingressus per angustos saltus, quamquam sciret infessos quatuor provincialium millibus, quos Philippus Donatus & Bartholomæus Maurus subitarios conscripserant, cùm, qui per id locorum esset, legionarius miles vix ad Corinthi præsidium, cui a propinquis hostibus periculum afferebatur, satis foret. Non irruentium clamorem nedum impetum Græci, qui a Venetis stabant, pertulere, in fugam effusi, vicenumque minuti cæde. Id metu, dolo ne patrarint, incertum. Quod posteaquam Ibrahimus factum comperit, simulque a tribus perfugis, Venetos intra Naupliæ paucorumque oppidorum mœnia se conclusisse, signa confestim per isthmum ducit, trito jam sæpius itinere Argos profectus. Urbs olim nobilissima, floren-

Turcæ Peloponnesum invadunt græco Liberio secum adducto ad ciendum suæ gentis tumultum.

florente quoque Græcia non parum deformata, nunc vicus ignobilis, priscæ dignitatis vix nomen retinet. Aliqua ei tamen supereminet castelli species; quod tenui licèt præsidio communitum primos repulit hostium impetus. Hæc mora Ibrahimi consilium turbavit illico, mox elusit. In animo habuerat, superatis Argis, quod levis molimenti ducebat fore, Naupliam contendere; spe, improviso terrore concussam facile ab terra expugnari posse. Nam mare Venetæ classi, quin opem obsessis inferret, impediturum Affanum, condicto illuc ejus adventu, reputaverat. Itaque sub ipsis Argis exercitum vallo cinxit, tuto metatus castra loco; quippe cui ab dextera palus, ab sinistra sepes ac maceriæ dividundis hortis, ab tergo asperi colles; ubi tandiu, quoad suorum naves advenientes conspiceret, & quid Venetis in animo esset, certus specularetur, morari statuit. Interea Liberium cum suis ad se vocavit. Is Megalopolim usque, media sitam in Peloponneso processerat, pacato primùm agmine, si forte præsenti ope cives ad defectionem se confirmarent. Ubi eos vidit incertos ac prope, ut in parata utrinque calamitate, stupidos; incendiis illataque vastitate, ut se respicerent ærumnasque mutata fide redimerent, impunè vacuam præsidiis regionem vexare incœperat. Siquidem Veneti legionarios omnes & quic- 1695.

1695. *Quid Veneti gesserint ad provinciæ tutelam.* quid illic erat virium in classem & maritima contraxerant oppida; rati, his permunitis, nihil pelago Turcas, nihil terra, obsessis utrinque isthmi faucibus, ausuros. Quocirca Alexander Molinus maris præfectus classem in saronicum sinum adduxerat, Antoniumque Molinum insularum prætorem extremam Corinthiaci sinus oram aliquot quinqueremibus exagitare præceperat. At mutato rerum aspectu consilium utrique mutare coacti sunt. Cunctante Assano Ibrahimus, dum Naupliam peteret, gradum continuit. Venetus imperator Turcis Peloponnesum ingressis, classem primò in Argolici Pyræi portum, in Naupliæ deinde, oppido metuens, circumduxit. Ibi audita provinciæ clade hostemque stativis positis solicitare Græcorum fidem luctuosamque ruinam minitari, Paleocastrum propiùs Argos admotis navibus, descendere milites factoque cum Naupliæ præsidiariis agmine hostium castra ire oppugnatum jubet. Cessit tamen Stenai majorumque ducum sententiæ, qui rem periculi plenam conspicati satique, non milites modò sed totam Peloponnesum, inita pugna, in apertum discrimen committi, illum e suscepto proposito dimoverunt. At certamen, quod belli ratio distraxerat, casus accendit.

Pugna provocantibus Turcis committitur. Quinquageni e Veneto exercitu ad Ibrahimum transfugerant retulerantque, suos numero minores,

nores, viribus fractos, metu sibi cavere ab conserendo prælio. Ille, ut sunt homines ad ea, quæ cupiunt, facili fide, oblata occasione ferox lætusque copias e vallo educit, ad hostem perrecturus. Quod ubi Molino renuntiatum, signa confestim in occursum movere Stenao imperat, militum ardorem ipsa incurrendi strenuitate ratus augendum. Acie ibat instructa (decem prope erant hominum millia) bifariam divisa, una alteri subsidiaria. In fronte prima quatuor Illyriorum legiones, quarum utrinque latus equites protegebant. Vixdum flexu itineris se se hostis aperuit, conseritur pugna. Primi Turcæ dedere impetum, ingenti clamore in dextrum cornu permissis equis. Telis excepti cohibuere pedem; & Veneti ad colles maturabant iter, unde hostium sibi latus patefacerent ac tutum ab tergo munirent ad Argos aditum. Sensit Ibrahimus Venetorum consilium simulque fregit, dato signo, ut in eos undique concursus fieret. Dextrum Venetorum cornu stetit vestigiis, factamque impressionem ferociter retudit. Lævum, impellentibus prætorianis Barbarorum equitibus illic in aciem digestis, cessit; & quamquam adversus irruentes armasset histricem; eo spreto disiectoque perrupere Turcæ, jamque stragem edebant, & ad intimos ordines pervadebat fuga; ni Stenaus citato illuc advectus equo, 1695.

 quà

1695. quà voce, quà manu, suos coegisset gradum sistere, inductisque in frontem ex acie secunda duabus legionibus pugnam redintegrasset, dubio deinde ad noctem usque pugnatam Marte. Adempta luce, utrinque e pugna discessum est, postridie, ut opinio ferebat, ad manus redituris. Verùm Turcæ silentio ad Isthmum iter continuarunt, veriti (sic rumor increbruit) ne interceptis a tergo commeatibus, difficilique per saltus impeditos, quos Veneti intercluduri essent, reditu, certa sibi pernicies impenderet. Dies ipsorum fugam aperuit; fugientes autem insectari Venetus haudquaquam ausus, satis esse opinatus, cùm propiùs ipse periculum fuisset, vicisse; nec irritandum validiorem hostem, cui animum, qui unus defuerit, queat pudor furore incensus facilè restituere. Stetit Barbaris ea pugna septingentum nece, in his Bechiri, qui prætori Ibrahimo gener erat; fauciis quadringentis. Venetorum non plus centum ac decem, patriciorumque unum Antonium Contarenum abstulit; vulneribus centum quadraginta, quos inter aliquot majorum ducum debilitavit. In horum potestatem venere novem catapultæ majores, campestres duæ, binique pyrolmi & plurimum bellici apparatus. Auxit victoriæ pretium manipulus ille quinquagenum perfugarum, ab Turcis, leniendo acceptæ cladis incommodo, tru-

Non dubio victoriæ exitu Venetus secundo.

Turcæ e Peloponneso discedunt.

trucidatus. Eo siquidem spectaculo firmata aliorum fides. Et Senatus plures, quos Reipublicæ in eo rerum discrimine fidos habuerat, Chios præterea cives classem sequutos, Corinthios quoque Argivosque frustra a Barbaris ad defectionem solicitatos, præmio vaçare noluit, diviso Chiis apud Methonem, aliis circa suas urbes agro publico remissoque per aliquot annos tributo. Sub id prope tempus, quo signa Thraces in Peloponnesum intulerant, Antonius Molinus, tumultuario delectu conscriptis mille ducentis Græci nominis Creusam Corinthiaco in sinu maritimam Beotiæ urbem invadit. Spes erat Ibrahimum, qui traducere illic hyemem consueverat, ejus loci commotum periculo Peloponnesum deserturum. At neutiquam abductus, spatium Molino dedit occupandi diripiendique oppidi, facta centum armatorum cæde, plus totidem captis. Ab arce modicum, quod inerat, præsidium trudere nequaquam licuit. Dalmatia hoc anno, flaccescentibus utrinque, aliò distractis, viribus, nullum insigne rei gestæ argumentum præbuit. Divexati nonnunquam Turcarum fines, & quidpiam abactum prædæ, Illyriis exercendis obligandæque sibi hujusmodi præmio ipsorum fidei. Navale per autumnum prælium Icario in mari ancipiti fortuna commissum est. Classis imperium Assano mandaverat Mustaphus rex, una sibi nautica scientia

1695.

Præmia pluribus a Senatu data.

Res hoc anno in Dalmatia gestæ.

1695. *Navale prælium narratur.*

tia commendato. Is vere primo cum viginti bellicis navibus, duodeviginti quinqueremibus, biremibusque plurimis Æolidis Cumæ portum intraverat, præstolatus militum ac nautarum supplementum, Africanorumque prædonum naves. Dum illic moratur, crebris Ibrahimi nuntiis in Peloponnesum invitatus, non tamen Asiam deseruit, quamquam gnarus, eò per isthmum Turcica jam arma penetrasse non sine spe rerum novandarum. Noluit autem in incertam aleam se nondum paratum committere, ac boni esse imperatoris duxit, ita blandientem fortunam sequi, ut ex ejus arbitrio pendendum non sit; vacillantem, suis possit viribus retinere. Veneti cunctantem illum in tanta rei gerendæ opportunitate admirati; quippe qui scirent non timidum neque inermem; imparem credidere. Itaque insectandum arbitrati, cumulandamque navali victoria, quam sibi terrestri peperissent, gloriam, classem expediunt. Ne verò quid interea periculi Peloponnesus adiret, Molinus imperator quatuor legionariorum millia, duo Græcorum, quos idcirco centuriari jusserat, Augustino Sagredo provinciæ prætori ad obsepiendas isthmi angustias attribuit; ipse in Andrum vela dedit, quò conventura sociorum auxilia, binasque nuper Venetiis digressas bellicas naves condixerat. Inde Samum navigat, hostem quæsiturus.

Com-

Comperto, stare ad anchoras ante Chii portum, illuc per superiores freti fauces ire statuit, insulam circumvectus eo consilio, ut hostibus intercluderet Æolidis quammaxime portuosum litus, sibique ad belli ac maris discrimina tutam stationem circa Cenussos scopulos aperiret. Rostratarum remulco majores naves, quippe ventus vix non penitus quieverat, trahebantur. Prima vigilia profecti, postridie mane sub ortum solis fretum intrarunt. Paullum progressi, Turcas obviam properantes habuere. Nam cùm repente validus increbruisset Eurus, quo adverso Veneti usuri forent, Assanus oblata occasione in pugnam ire constituit, dimissis in portum duodeviginti rostratis, quæ furenti pelago impares erant. Trium tricenumque bellicæ majores explebant numerum, sibi paullo ante decem Algeriensibus, Tripolitanis tribus adjunctis. Venetis aderant bellicarum quinævicenæ præter duas piraticas Liburnenses, quatuor incendiariæ, hepteres sex, duæ supra triginta quinqueremes, quæ cum hepteribus nullam prælio præbuere operam, perculsæ reflante nimium vento atque effervescentibus undis, quibus obniti non satis erant. Tutam proinde stationem sub alto ad Boream Chii litore, ubi parvus ingreditur sinus insulam, cœperunt. Commissa inter majores naves pugna diem XVII. Kal. Octobr. insignem fecit. Prætoriæ duce- 1695.

ce-

1695. cebant agmen, primæque tela e machinis obverso in hostem latere ingesserunt. Reliquæ in transversum dispositæ ibant redibantque alternis flexibus circumductæ, tantam ac diro strepitu evomentes e majoribus tormentis missilium pestem, ut ubique lacera armamenta trunca quoque mortalium, non multa licèt, corpora terrorem ac ruinam oculis objicerent. Dispar erat certantium conditio. Siquidem concitatus in Venetos Eurus flammam e machinis erumpentem, magno velorum armamentorumque periculo, in eos ferebat. Nihilo secius Bartholomæus Contarenus, qui huic navium generi imperitabat, damnum rependebat arte, sæpius obvertens latera, nec tela falso unquam ictu in hostem intorquens. Sub vesperam recruduit pugna constipatis prope Cenussas navibus, quò sensim, cùm se sustinere penitus non potuissent, eas depulerat æstus urgensque procellæ vis, nec jam amplius quàm pyrobalistæ jactu utraque distabat acies. Maxima mutuaque imminebat clades, ni citò nox prælium diremisset. Interea ventus resedit, ac Turcæ Chium, Veneti extra fretum, quà quisque venerat, recessere. Horum eo die non plus quadraginta desiderati, in his Angelus Bembus navarchus; saucii ad septuaginta; nemo alicujus nominis præter Vincentium Pastam, navis itidem moderatorem. Thracum incertus nume-

numerus. Postridie mane mitescente pelago Molinus imperator rostratas eduxit, factoque cum bellicis agmine, intra fretum regressus, hostem magno tormentorum boatu ad pugnam provocavit. Renuit eo die congredi Assanus, quippe Veneti quiescentibus undis, humiliorum navium classe, qua parte virium prævalebant, juvari poterant. At postridie vehementiori spirante rursus Euro in apertum prodiit. Et Contarenus, quamquam quinqueremes hepteresque, furenti pelago subductæ rursus in abditum vento sinum, quò antea, se recepissent, bellicis navibus inire pugnam non detrectavit. Prima utriusque imperatoris cura fuit, velis ita ventum accipere ut alteri superstaret. Dum circumvagantur atque invicem se se eludunt, senas Contarenus Turcarum naves ab ceteris divulsas rectà ire ad Venetas quinqueremes vidit; amoliendoque ipsarum periculo suas objecit, quamquam adverso pugnandum vento sibi esset. Nec mora Thraces accurrunt, tela undique micant, quatiuntur mali, vela discerpuntur, cadunt lacerati milites nautæque. Turcæ, trifariam divisa classe, partem in rostratas immittere, reliquis distinere hostium bellicas naves, ne ad earumdem tutelam accurrerent. Et Contarenus latius digesto in ordinem suarum agmine, Turcarum consilium, qui bellicarum numero superabant, impedire,

1695.

Post duos dies recruduit.

1695. & rostratarum suæ gentis perniciem avertere conabatur. Quatuor obfirmaverat certamen horas, cùm Assano subducere naves ex hostium telis visum est. Fatiscebat enim vulnerata crebris ictibus prætoria Tripolitanorum, binæque aliæ rupta compage tantum accipiebant aquæ ut vix supernatarent, nec ita multo post pe-
Quo successu. lago haustæ sunt. Ceteræ quoque debilitatæ magna virorum armamentorumque clade, & ipsa imperatoria non parum clauda discessum suadebant. Cùm repentè proras ad Asiæ litus jam obvertentem in prælium revocavit fragor Venetæ navis discerptæ nitrati vi pulveris, in quam ignis (quo casu, incertum) penetraverat; se seque diffundens in proximam alteram, vela atque armamenta corripuerat; nec restinguendo ullum præsentius remedium adhiberi potuerat quàm malis antemnisque dejectis, ut in mare idoneam comburendo materiem secum ferrent. Itaque circumactis proris pugnam instaurat, nullo consertam ordine; congredientibus, ut in repentino tumultu, ubi unaquælibet navium in hostilem incidisset. Eminus jaculis ad noctem usque certatum est nullo memorabili casu, nisi quòd Liburnensis Archipyrata, cui Tripolino cognomentum erat, Venetam illam, quæ armamentis metu flammæ se denudaverat, quatuor circumsessam Thraciis atque atrociter verberatam, intrepide inter

ter frequentiſſimos ictus admota nave dataque fune ſecum extra diſcrimen adduxit, virtutis cauſa torque aureo a Molino imperatore donatus. Turcis magna & longe quàm hoſtibus majori ſtetiſſe hominum ſtrage eam pugnam, vulgatum fuit. Venetis abſtulit haud amplius centum viginti duobus; bis centum ſexaginta quinque vulneribus affecit. Cum incenſa nave ducenti quinquagenique perierunt, in his Stenai familia; ipſe pridie fauſto numine in Franciſci Grimani quinqueremem, eo invitante, ſe contulerat. Sub noctem conticuerat ventus. Quare mox adventuram Venetam roſtratarum claſſem Aſsanus facilè ominatus; ne ab ea novum ſibi periculum impenderet, in proximum Phocææ portum ſuam adducere properavit. Nec eum concepta opinio fefellit. Molinus enim vixdum placatis fluctibus ad pugnæ locum remis proceſserat, ſpe, cùm pernox Luna eſset, haud incertis ictibus in hoſtes jaculaturum. Verùm & hi jam longius, quàm ut feriri tormentis poſsent, abierant; & Veneti ad ſarciendas majoris formæ naves aliquem in portum ire cogebantur. Lesbos inſula in propinquo erat, offerebatque in deſerto Sigrio ſinu tutam ſtationem. Dum eò progrediuntur, vehemens procella & mare non uno vento concitatum naves in diverſa rapuit tanto diſcrimine, ut non amplius quò irent, ſed 1695.

1695. ubi a furentibus undis cautio esset, pensi haberent. Triduum dispersæ, demum sedato pelago ad Schirum insulam se collegere; inde Naupliam laceræ concussæque traductæ, nulla tamen absorpta fluctibus. Hæc Senatui renunciata non parum reddidere animi, turbato Chii calamitate, veritoque ne Thraces prospero successu elati, contentis vehementius nervis (ut nihil fœlicitate ad suadendum validius) majora meditarentur bellique fortunam ad se se illicerent. Nam & in Peloponneso cladem acceperant; & mari superiori æstate Venetis restitisse, forsan aliquando meliores tulisse partes, ventis, qui pro ipsis steterant, non militari virtuti, qua hostem superassent, tribuendum videbatur. Succurrebat quoque, *celsioribus* humiliores naves impedimento fuisse, ne ferocius Contarenus pugnam urgeret; huic autem incommodo facilè occurri posse aucto bellicarum numero, longarum imminuto; idque illico Senatus jussit. Non autem assensus Molino est, qui expertus, nauticas vires curulibus præsertim machinis intendi, per literas hortatus fuerat, ut Othomanorum exemplo vix non penitus majoris formæ navibus ad pugnam uterentur, in easque maris præfectum supremumque imperium transferrent. Non enim ventorum arbitrio consularem majestatem, qua plurimùm vigerent arma staretque belli fortuna,

Senatus renuit bellicis tantū navibus, neglectis quinqueremibus, maritimū bellum geri, & quare.

na, committendam censuit ; & in libera civitate, ubi non servare Majorum instituta, religioni ducitur, plerumque nihil ex antiquo motum, utile reputatur, aut gratum accidit. Quæ quamvis commotam in Græcia a Barbaris tempestatem non parum compressissent, Senatum nihilo secius ea tacita angebat cura, quòd nec reliquis Fœderatis prospere hoc anno Turcicum bellum successisset ; inde verò Musthaphus in veteris fortunæ spem erectus prorsus negaret (ut inexperti calamitatibus, rarò providi) pacem vel honestis conditionibus redintegrare; nec unquam non sit ab iis timendum, qui latissimo vigentes imperio consilii solum, quod facilè mutatur, inopia debilitantur. Enimvero ab Sarmatis (de quibus jam prope desperatum videbatur, fessis longo ærumnarum dolore, oblataque seorsum pace armorum incuriosis) aliqua per id temporis spes affulserat, fœderis jam tandem memores quidpiam ausuros. Siquidem Rex, a quo nunquam in Turcas odium gloriæque amor discessit, media hyeme concilium gentis Varsaviam indixerat contenderatque summo studio, nec inani prorsus eventu, ut provincialia comitia ad communem hostem diligentius persequendum conspirarent. Ad Conventum Cæsar Comitem Czerninum sibi legaverat, eo præcipue argumento consopitam ejus gentis 1695.

vir-

1695. virtutem excitaturum, quòd si paullum anniterentur, brevis conatus ingentem utilitatem ac decus pariturus esset; & si otiari pergerent, non sine damno atque ignominia in discrimen rempublicam adducturi forent. Moschi pariter intestinis discordiis, quibus diu quamquam plerumque occultis laboraverant, expediti, armatorum in Thraces immanem procellam se se inducturos polliciti, ad hanc impellendam Sarmatas eblandiebantur. Verùm obortæ dudum inter Vilnæ Episcopum ac principem Sapieham supremum Lithuanæ militiæ præfectum inimicitiæ ob intemperanter oppressa hibernis Sacerdotiorum patrimonia, comitiis armorum quoque vi deturbatis, improsperum exitum attulerunt. Nec ad excutiendum torporem quidquam potuit fœdissima per eos dies Scytharum depopulatio, delatæque ab expilatis provinciis ad conventum querelæ. Scythæ medio prope Februario ingentem commeatuum copiam Camenæcum adduxerant, facto septuaginta millium exercitu (nisi fama, ut cùm longinqua & parum pensi habita refert, mendax fuit) Szabaso Gereio, ipsius Reguli filio, duce. Inde late regionem ipsumque circa Zolchieum oppidum patrimonium regium prædando, Leopolim usque nigræ Russiæ caput vagari, eamque ausi urbem duplici licèt munitam arce pertentare. Ad Pel-

Sarmatæ & Moschi urgere Turcicum bellum spondent.

Sarmatæ domestica nonnullorum Procerum discordia deturbantur.

Ingens per Sarmatiam Scytharum depopulatio.

Peltevum amnem mœnia præterfluentem, structumque ibi pontem, iis occurrit Jablonouschius ductor Poloni exercitus cum quatuor suæ gentis millibus, quæ repentè ex hibernis contraxerat; obstruxitque pontis aditum. Dum commissa illic pugna occupantur Sarmatarum vires oculique; Scytharum cohortes aliquot, vado longius superato, ab tergo circumactæ, in suburbanas ædes una protectas vallorum sepe irrumpentes agebant prædam. Quod ubi Polonis, strepitu nuntio, compertum fuit, extemplo illuc suorum valida, quantùm licuit, inducta manu, hostem inter angusta viarum prælio involvunt. Obstitere diu Scythæ; sed eminus catapultarum jaculis discissi, cominus gladiis, & cùm flamma per circumpositas ædes vehementer opportuneque excitata terrorem adderet, cessere loco, mille fere in eo tumultu desideratis, relata tamen ad suos præda, quam non ita multo post nullo impedimento extra Poloniæ fines traduxere. Rex injuria ac damno percitus, de Senatus sententia (nam Regni comitia post legitimum tempus dissoluta fuerant) celebrari denuo provinciales Conventus, opem aliquam afflictis rebus quæsiturus, jussit. Unum ibi fere omnium decretum fuit: Justitium indiceretur; Nobilitas undique ad arma insurgeret, suamque ulta vicem repeteret ab immanissimis hostibus acceptæ pœnas

1695.

Non una idcirco cum Sarmatis pugna, ubi, & quo eventu.

Alia ipsorum decreta vindictæ desiderio.

1695. nas ærumnæ; stipendia militibus, quæ jam diu exaruerant, imposito in id tributo, numerarentur. Horum tamen nihil e sententia evenit, inveterato illic usu, cuncta, ubi dolor tempore aut malorum assuetudine resederit, negligendi; modò etiam in alias curas distractis animis. Regi, affectis jam viribus atque ætate, plurimum valetudini consulendum erat; & Lithuania novis Procerum dissidiis implicita parum Scythico bello, cujus ipsa immunis, commovebatur. Nam Sapieho ad veteres cum Vilnæ Antistite inimicitias recentes accesserant cum Principe Radzivilio, provinciæ præside. Causam attulerat Radziviliæ, Carolo Principi Neoburgensi nuptæ, mors immatura, superstite ditissimi patrimonii hærede *infante* filia, cujus uterque bonis curatorem se obtulerat, susceptumque munus armis tueri conabatur. Nec levi tumultu; quippe ad quatuor millia clientum in aciem invicem eduxerant non sine strage atque incommodis, quæ bellum infert. Hinc infrequens vel supra morem adversus Thraces exercitus, nec nisi sub æstatis exitum iter ingressus; quamquam Moschi ex accepta dudum fide ejus duces vehementer urgerent, ut Bessarabia hostiliter peragrata Scytharum partem in se averterent. Ad Naparim successerant; cùm quinædenæ Lithuanorum cohortes ferociter inficiatæ amnem transmitte-

Nullo tamen eventu.

Lithuanorum Procerum inimicitiæ Reipublicæ molestæ, & unde auctæ.

re,

1695.

Infrequens Sarmatorum exercitus nulla re gesta hyematum mittitur.

re, ni sibi stipendia numerarentur, quidquid erat militum in suam sententiam traducunt. Præfecti obstinatos animos frustra mollire aggressi, consilium e re nata capiunt, Camenæcum aggrediendi, quod diuturna pestilentia, præsidium depasta, debilitatum casu aliquo in potestatem redigi posse, spes blandiebatur. At spes fefellit. Repertum quippe (nec aliter intercepti aliquot milites retulerant) vigere adeo, ut magnis animis nec fractis viribus pateret defensum iri. Jamque anni tempus longum facinus, pari quamquam armorum robore suscipiendum esset, dehortabatur. Itaque in hiberna, tametsi matura nondum forent, miles deductus. Interea Moschi frequentissimo delectu atque ingenti militari apparatu magnam sui expectationem commorant.

Moschorum frequentissimus

Copias numero machinisque apparatissimas conscripserant bipartitasque destinaverant animis in Præcopenses Scythas, Albæ Russiæ nimium infensos, ab una parte inducere; ab altera sibi in Pontum Euxinum aditum patefacere atque ita Tracibus imminere. Ergo Tanais Boristenesque amnes, quibus Taurica cingitur Chersonesus finitimaque Scythici imperii regio, in ditionem redigenda erant, occupandæque ipsorum fauces, unde mare Ponticum navibus aperitur. Hinc Tanais oppidum, celebre emporium in dextra jacens ripa co-

1695. gnominis fluvii claudit ostium quindecim passuum millibus a Mæotide palude, in quam ille latissimo fertur alveo. Illinc Boristheni, ubi Euxinum intrat, Axiace, quam modò Oczakovam dicunt, insidet prohibetque, si lubeat, naves ingredi. Ambæ Scytharum Turcarumque ingenti præsidio tenebantur, hanc tutaturo ab Cosaccis Moschorum sociis; illam ab ipsis Moschis, quibus non ita multo ante erepta fuerat, nondum sanato iniuriæ vulnere. Utròque exercitus uno tempore adducti, diverso tamen eventu. Nam Axiace vix tentata. Eò Moschi longa difficilique via pedibus ierant, fessisque laborioso itinere non satis animorum ac virium supererat ad arduum opus. Quocirca oppidanis frustra ad deditionem solicitatis, verberatisque parumper mœnibus, ac solo æquatis quatuor supra Boristenem ad tuendam navigationem turribus, remearunt; quæsti non servatam a Sarmatis promissi fidem, quam, in se distracturos hostium partem, dederant; falsamque oblatam sibi a Cosaccis urbis levi molimine superandæ speciem. At contra Tanais ingenti strepitu machinarumque apparatu concussa. Illuc Moschi per Occam, Rham, Tanaimque flumina lintribus pervenerant. Aderat Petrus, magnus Albæ Russiæ Dux alter, qui, relicto domi Joanne fratre majore natu, sequutus arma fuerat jam tum militiæ assue-

In duas divisus partes Axiacem Tanaimque oppida oppugnat.

Ab Axiace frustra tentata discedit.

In Tanaim ingenti apparatu irruit.

assuescens, præclara suæ genti de se promittens; regebatque Adolescentis imperium Franciscus Lefortius Genevensis, una bellicæ artis opinione in ejus familiaritatem ascitus. Oppidum lata fossa validoque muro minoribus tantùm propugnaculis interiecto circumsessum, armatorum potius frequentia quàm operibus repellebat hostem. Is nihilo secius inter suorum stragem vineas haud parum promoverat, dirutaque arietibus mœnium parte non procul ab irruendo erat; cùm oppidani sub signis erumpentes prælium inire antevertunt. Accensa pugna, referre isti pedem, Moscus vestigiis hærens inferre; quoad sensim adductus, ubi solum præsidiarii cavea, nitrato referta pulvere, suspenderant, eo ignescente flamma ac ruinis involvitur cumulaturque non levi damno, irruentibus iterum oppidanis, deleto simul militari aggere obcæcatisque dispositis ibi machinis, unde e proximo tecta murique feriebantur. Perculit accepta ærumna oppugnantium pectus pavore, non tamen Regem deterruit, cujuscumque cædis, qua vinci oppidum posset, negligentem. Itaque non dirutas modò instaurari vineas, sed alias e diversa parte jussit ad fossam duci. Dum agebantur, erupere iterum oppidani dataque impressione in fugam nullo fere conatu coniecere Moschos jam consternatos accepta dudum cla- 1695.

1695. de. Quod ubi vidit Petrus, haud amplius ibi commorandum statuit, ratus non facilè suis animum restitui posse, nec diutius pro eo anni tempore ad incertos casus obijciendum exercitum, quà ferro quà morbo viginti millibus imminutum. Non tamen fœlicioris eventus, cùm illuc nova æstas aditum aperuisset, abiecit spem; quin huic fovendæ validam opposuit urbi munitionem, impositoque firmissimo præsidio, quo illa commeatibus novoque militi clauderetur, copias in hiberna, se Moscuam retulit. Quæ dum in ea parte geruntur; ancipiti metu, qui hoc anno futurus esset rerum exitus, Pannonia detenta est. Medio fere Januario munitum oppidum Julia ad Keresum amnem prope Transylvaniæ fines, jamdiu obsessa, urgente fame in Germanorum potestatem venerat, unde centum viginti novem ante annos Thraces ad se abduxerant vi expugnatam. Id Cæsari ad acuendum barbaricum bellum (excitamur siquidem fœlicitate, pigrescimus ærumnis) addiderat animos. Curaverat proinde, Fœderatos in eamdem sententiam inducere; sibique undique diligentiori studio contrahere auxilia, severioribus etiam conditionibus accepto milite ab Daniæ Rege, Octoviro Brandeburgensi, nonnullisque Germaniæ Regulis. Transactum præcipue cum Federico Augusto Misniensi Octoviro, ut duo mil-

Ac tandem a Moscbis deseritur.

Julia in Germanorum potestatem venit

millia suæ gentis equitum, sex peditum daret; ipse duceret exercitum adversùs Turcas; quod strenuus adolescens vehementer optabat, Bojoarii exemplum æmulaturus ac se Polonis ostentaturus in regni spem, quam tacite jam tum fovebat. Datus illi, consilii in re bellica moderator, Comes Æneas Caprara legatus. Rebus ita per hyemem comparatis, Misniensis principio æstatis Viennam petiit, omni a Cæsare honore hospitioque exceptus. Plures ibi moratus dies, donec undique legiones ad Petri Varadinum convenissent; eò adulta jam æstate se contulit, Caprara præiverat. Consultantibus, quid gerendum sibi proponerent, explorare prius visum est, ubi & quo numero inimicus exercitus coaluisset; quidve mente agitaret. Varia siquidem, & nihil hactenus certi, rumore nuntio dissipata fuerant. Nec re vera Thracibus explicata longe ante constiterat agendi ratio; multaque tardaverant Mustaphum regem, signa ceteroquin ducere obfirmatum, ne mature, ut in animo habuerat, ea moveret. Sublevanda prius fuerat ærarii inopia, quæ minus tamen, quàm opinio intercesserat, negotii exhibuit; facili ubique post Chium receptam resque ibi prospere gestas tributo, veluti fortuna suaderet; præsertim verò ingens auri argentique pondus afferente Regis Matre, congestum sepositumque ad

1695.

Frid. Augustus Octovir eorumdem exercitum ducit.

1695. ad incertos casus, quibus sagacissima providaque fœmina non ignoraret, pecuniam dominari. Deinde supplendi exercitus diligentiori delectu, Pannonicus in primis, ne majestas imperii, præsente Rege, quantùm plurimùm caveri posset, incertam subiret aleam. Demum, quod longiùs curas exercuit, perpurganda turbulentis ingeniis Aula; cùm fœliciter regnandi maxima sit legum, interna quies. Reliquiæ faventium impuberi majori natu Achmetis filio manebant, suberatque tacita suspicio, inde Janizaros ad petendum arroganter congiarium, quod ipsis dare novi principes consueverant, clam solicitatos; & Halium Visirium, huic præcipue gratum Ordini, dubiæque in Mustaphum mentis jam olim *insimulatum*, procellam concitasse. Rex gnarus, quid ærumnarum peperisset Majoribus suis prætorianorum audacia, timuit æque sibi, seu donando eam foveret, seu negando irritaret. Ergo Matre in consilium adhibita statuit, se se potius in discrimen dare, quàm initio dominandi quidquam cedere. Perire siquidem Principis auctoritatem uno tantum vulnere accepto; nec reviviscere civium obsequio, quod exui posse compererint. Janizarorum præfectos in Regiam vocatos in hanc fere sententiam paucis alloquitur. Non se militum ope, sed sanguinis jure sacrataque imperii lege principem

Mustaphus novus Turcarum rex turbulenta Janizarorum consilia dissipat.

pem locum obtinuisse. Quid ergo milites operæ, quam non dederint, mercedem postulare? 1695.
Præmium ab se fore stipendia legitime strenueque meritis · Præpostere datum, utrisque indecorum; ipsis, quòd nullo partum labore; sibi, quòd nullo recte factorum argumento concessum. Nec exemplis decernendam rem esse, nisi honestis. Videant proinde a quibus quave arte congiarium retulerint; scilicet vel tumultu, vel ab ignavo Principe. Se verò non eum reputari velle, qui Majorum deterrimos ad imitandum sibi proposuerit, quique unquam inducat animum, sua in milites beneficia turbatæ potius quàm bene gestæ reipublicæ testimonio esse. Hæc fatus, attonitos dimisit indito metu; compressitque mox erupturam prætorianorum licentiam pubescentis in novo Principe virtutis admiratio, & obiectum seditiosis temerarii qualiscumque consilii periculum, diu, ut ab juvene, duraturum. Quo ille fœlici successu confirmatus, cuicumque reliquæ suspicioni securim penitus inijciendam statuit. Halium Visirium capite damnat; supremos peditum equitumque prætorianorum præfectos exilio multat; quotquot Aulicorum dubios reputat, magistratu movet. His paternos amicos, qui exulabant, suffecit. Ad primum imperii munus vocat Mehemetem Bosniensem, fide ac solertia sibi a puero

ca-

1695. carum probatumque. Religioni summò cum imperio moderari Ymamzadem Mehemetem; utrique prætorianorum Ordini veteres clientes, peditibus Isugum, equitibus Achmetem; administrandæ reipublicæ, dum ipse signa præiret, Matrem præesse jubet. Quiete domi restituta, Albam Græcam ad exercitum pergit. Octoginta illuc armatorum millia, lemborum ad centum viginti varia forma convenerant. Ibi cum Visirio atque illustrioribus ducibus deliberanti, quò arma ferret, placuit graviorem belli molem in Transylvaniam traducere, quam Tehelius in consilium adhibitus affirmabat, facile in ditionem redactum iri, popularium pluribus fide ac benevolentia sibi obstrictis, cunctis in Germanos, molestos hospites, ira atque odio incensis. Interim per Danubium classem ab dextraque ripa legiones aliquot immittere fallendis hostibus, quidpiam, si occasio daretur, ausuras. Octovir certior ab exploratoribus factus, Turcas instructo ponte flumen illud transmittere, Transylvaniæ timuit; quam octo non amplius Germanorum millibus tutabatur Comes Federicus Veteranius legatus, nuper ab Cæsare cum fiduciario ejus provinciæ principe puero Abaffio eò regressus. Constabat Cæsarianus exercitus ex quinquagenis Germanorum millibus pluribusque Hungarorum globis. Horum alter cum sex millibus Ger-

Albam græcam ad exercitum pergit.

Eumque ducit in Transylvaniam.

Cui Veteranius præerat.

Germanici nominis Comiti Herbevillo prolegato datus, quo interiacentem Tybiſco Danubioque tractum communiret. Tybiſci oppidi præſidium aliquot utriuſque gentis cohortibus firmatum. Quicquid legionum reliquum ponte jam ante ad Petri Varadinum lembis impoſito, in adverſam Danubii ripam traductum, in Tranſylvaniam progreditur. Tybiſcum ad Betzcam vicum ſuperaturis, Comes Ferdinandus Marſilius tribunus militum præmittitur, qui conjuncto lintribus flumine, ſtratoque per proximas paludes aſſeribus faſcibuſque itinere viam molliret. Quæ tamen, vixdum oculis ſubiecta fuit regionis indoles, inexuperabilis apparuit, late ſtagnantibus aquis, nec tanta ſiccando tramiti materies ſufficiebat. Dum ancipites hac illac explorant, ſi quà fortè explicaretur tantæ ac tam impeditæ ſarcinis bellicoque apparatu multitudini ad Mariſum flumen aditus; quatuor magno ad rei ſummam incommodo abiere dies; decretumque denique, ut per dextram Tybiſci ripam Segedunum; dein ſecus Mariſum lato gyro Lippam contenderent, quò, in Tranſylvaniam profecturis, ſigna ferre conſtitutum fuerat; præſertim cùm nonniſi tranſvecto navibus commeatu expediri commode alimenta poſſent. Interim Veteranio renuntiant: obſideret aperientes Tranſylvaniam ſaltus, retineretque paullum, ſi ſo-

1695.

Ei opem ferre Germani cunctátur, & quare.

1695. foret opus, hostium impetum; mox Octoviro cum omnibus copiis affuturo. Ille per angustas fauces (portam ferream dicunt) provincia egressus, prope Temesum amnem inter Lugum & Karansebem munitissimo loco posuerat castra, duo hæc oppida tutaturus, suasque copias cum reliquo exercitu maturius nulloque impedimento conjuncturus, simul ac ille propius (quod mox futurum noverat) se se admovisset. Verùm evertit hostium consilia Mustaphus Rex. Transmisso ad Panzovam Danubio, properatoque itinere cum præcipua legionum parte Temesvarium venerat. Ibi comperto, Germanos, ne rectà in Transylvaniam irent, paludibus prohibitos, coactosque interposita mora quidpiam de via deflectere; ad Lippam, vicenis illinc distantem millibus, confestim oppugnandam dimisit militum quinadena millia, ea simul indicta lege ut non vineis, quæ tempus Germanis ad ferendam opem daturæ forent, sed obstinata impressione pulsis præsidiariis in mœnia evaderent, capite pœnam, si non bene cœptis succederet, persoluturi. Nimis enim intererat arce potiri, quæ Transylvaniam nudaret, & ubi Veteranius ingentem collegerat commeatuum vim. Tumulus Mariso imminens Lippam habet. Cespite lignorumque strue compacta surgunt mœnia, fossæ tantùm munimine circumsepta. In

Turcæ illam aggredi præveniunt.

Lippa potiuntur.

In medio arx quadrata forma ; prominentque 1695.
in angulis propugnacula. Mille sexcentum Germanorum præsidio præerat ibi Toldus Dauniæ legionis instructor, nec deerant undequadraginta majores catapultæ, octo pyrolmi. Turcæ nihilo secius intrepidi ad frequentissima tela non, priusquam in fossæ labro, sustinuere signa. Quadrifariam divisi æquataque sibi fascibus via, pars eminus ab lorica pyrobalistis submovere hostes, pars rependo cum scalis in altum conari. Magna utrinque cædes, ut in confertos obstinatosque ; sæviitque tres horas ferox pugna. Thraces bis repulsi, fessisque integri succedentes, tertiò ad certamen rediere memores, ni vicissent, indictæ pœnæ, ac satius esse generoso militi, hosti jugulum quàm lictori cervices dare. Itaque fractum strage plurima ac labore hostem mœnibus pepulerunt. Refugientem in arcem vestigiis consequuti, vetitumque fores objicere, cœde cumularunt. Ad mille interempti. Reliqui cum præfecto, satiata jam tandem victoris ira, servitute vitam redemere. Non ea tamen victoria Turcæ læti, quippe quorum longe plures letho absumpti. Egesta illico præda, dejectisque munitionibus Temesvarium se retulere, conscii Octovirum cum universo exercitu approperare. Is Canadium pervenerat, nec plus trium dierum itinere procul aberat ; cùm nuncius amissi Ty-

1695. bisci oppidi anxium hærentemque ancipiti retinuit metu. Hanc Mustaphus arcem, cognominis fluvii navigationi infestam, suæque intercludentem classi in interiora Pannoniæ cursum, per idem tempus, quo Lippam, oppugnari jusserat. Eò proinde navibus adductæ, quot satis essent, militum legiones, & quicquid ad belli apparatum foret opus. Non enim facilis expugnatu, recenter quoque novis operibus communita insessaque mille sexcentum præsidio; & Herbevillus cum ea, quam diximus, legionariorum manu in proximo stativa habebat. Non tamen descendentibus in ripam Thracibus se se ausus obijcere, numero nimis impar; minus autem Germanicam classem, quæ circa Petri Varadinum commorabatur, obviam hostili immittere. Non enim illam satis ad æquum certamen Aschembergius prætor navigiis augere, supplere nautis potis fuerat. Itaque Turcæ vacui externo metu otiose aggerem ad fossam producunt. Se verò in eam demittere aggressi, præsidiarios ex occulto desilientes armaque intendentes coram habuere. In ipso margine conseritur pugna; fit cædes horrida, ac libithinæ cruenta & lata via. Duas certaverant horas, cùm oppidani pressi hostium multitudine, nec amplius animi robore sustinentes fracta labore corpora, intra mœnia se referunt. Turcæ fossam

Tybiscum oppidū occupant.

ſam ingreſſi, conteƈtique aggere, cuniculos ad ſternendum ruinis in oppidum iter inducunt. Illi ad ſexcentos redacti ubi ſe reſpexere, nec ſatis ſibi eſſe virium ad novum impetum, poſtridie quàm oppugnari cœpti, deditionem pepigerunt ea lege, ut liberis armatiſque abire ſibi liceret. Non tamen ſervata fides, deduƈtique Albam græcam. Oppidum tormentis ac munitionibus nudatum Thraces deſeruere. Illinc pars iterum claſſem conſcendit, pars Danubium tranſgreſſi, ad Petri uſque Varadinam populata regione ſe ſeque oſtentantes, timorem Germanis iniecere, ne in eam partem belli molem transferrent. Quæ poſtquam Miſnienſi ab Herbevillo nuntiata ſunt, par ipſum Capraramque & reliquos majores præfeƈtos inceſſit pavor. Quocirca decernunt, ut eò ſtatim peditatum omnem cum paucis equitum legionibus Vido Starembergius prolegato duceret; equitatus receptis Veteranii copiis iter in Tranſylvaniam proſequeretur. Jam ſigna movebant, cùm atrocior alter ad Oƈtovirum pervenit nuntius: agmen illud a Turcis circumventum, ingenti fuiſſe perculſum clade ac penitus diſſipatum. Mehemetes Viſirius cum prope tricenis armatorum millibus eò iter acceleraverat, ratus ipſum, priuſquam a conſulari ſuorum exercitu opem acciperet, oppreſſum iri. Nec falſus fuit. Stativa Vetera-

1695.

Non ſervata Germanis, ut liberi abirent fide.

Veteranius a Turcis opprimitur.

1695. ranius in colle posuerat, undique, præterquam a fronte, impedito paludibus ac denso nemore; non tamen, quà patebat, vallum obiecerat, nihil ab hoste veritus, quem famam propinqui Germanorum exercitus & mox affuturi, ut quotidie Octoviri & Capraræ literis admonebatur, ab incerta subeunda pugna dimoturam haud temere reputabat. Cùm repentè fit conscius Turcarum signa coram adesse. Missi, qui certiùs agnoscerent, prædatorum ne manus an integræ se offerrent Turcarum copiæ, citò renunciarunt, cum his rem fore. Ad inopinatum terrorem haudquaquam abjecit Veteranius animum, sed extemplo circumvectus equo, jubet milites curare corpora atque arma expedire. Simul, quà pervagatur, magnis inclamat vocibus: Abstergite metum, commilitones, ac viri estote. Superat nos hostis numero, nos illum virtute ac tutissimo, quo stamus, loco. Nec diu obnitendum. Octovir quippe cum fortissimo frequentissimoque exercitu non procul abest; & ubi norit, Barbaros in nos irrupisse, ipsis illico a tergo erit, nostramque ultus vicem irrogabit æquas male sani consilii pœnas. Læti magnanimum ducem audiere milites, seque sibi restituerunt. Ille quatuor, quæ secum attulerat, curulia tormenta in fronte locat, vallumque imperat sarcinis ac reliquis impedimentis erigi. Peditatum in medio statuit,

Ferociter prius præliatus.

Edito eximiæ strenuitatis exemplo.

tuit, equitum alis firmat latera. Nondum Germani se penitus ad pugnam comparaverant, cùm utrinque hostium equitatus ingenti sublato clamore præcurrit, objectasque urget impellitque turmas. Fregit impetum Germanus equorum mole; remissisque telis, quæ pluribus abstulere vitam, invicem pavorem intulit se se inferentibus. Hinc cedere turbatis ordinibus Turcæ visi; & suis Veteranius addebat animos ut vacillantibus instarent; levioris inclamans momenti esse, dispergere inclinatam semel aciem quàm instructam impellere. At viribus Thraces instauratis recenti milite, efferatique simul accepta clade ac ducum vocibus, mortem, ni vincendo tantum abstergerent dedecus, minitantium. Recruduit prælium pari amborum virtute, dispari conditione; Turcis identidem submissa ope se reficientibus; perpetuo labore consumptis Cæsarianis, qui tandem obruti multitudine terga dederunt. Interea pedites ad manus venerant. Brevior illic pugna, unaque ab subitario vallo inundantibus Barbaris injecta mora. Eo disiecto, fecere isti impressionem tanto conatu ac ferocia ut illam sustinere Germanis liberum haudquaquam fuerit. Cedentibus Veteranius, illuc celeriter advectus equo, tempestivus astitit; compertoque incompositos referre pedem & machinas in hostium potestate reliquisse, non tulit ignominiam;

1695.

Primo prælii impetu Turcæ repelluntur.

1695. niam; desiliensque, & ad primos progressus ordines, vociferatur: Non hæc, milites, salutis via; aut moriendum aut vincendum est. Decora prælianti mors vitam proferet immortali gloria; inhonesta, fugienti & vitam & decus auferet. Agite verò; contendite ferro, memores cum eo vobis hoste certamen esse, quem sæpius fudistis, profligastis, concidistis. Plura impendens periculum dici non patiebatur. Nam Turcæ se se invehebant; & quò magis inclinabat acies, minor ejus restituendæ manebat spes. Itaque intento gladio primus ipse in hostem ruit, clarissimaque micans bellicæ virtutis luce ardorem ceteris infudit, instauravitque pugnam. Is invicem Barbaros abripuit impetus, ad suaque tormenta, æquata iterum acie, Germanos retulit. Quamquam non ita multo post, urgente hostium multitudine, multaque trepidi suorum cæde, nervos remittere & circumspectare fugæ locum; præsertim cùm Veteranius bis gladio caput, bis pectus telo ictus vix amplius animi ferocia se sustentaret. Rheda exceptus pugna decessit. Pedites fugæ simili gressu in sylvas paludesque se se abdidere. Collegit Thruchses prolegato quotquot viam non preripuerant, Karansebem se recepturus. Turcæ haud longe insequuti sunt, aversati dubios ingredi saltus, confusique atrocissima cæde, qua ipsis victoria stetir. Horum quip-

Mox invicem Germanos tradunt.

quippe ad sex millia periisse, compertum est. 1695.
Quicquid autem bellici apparatus Germani illuc adduxerant, eorundem præda fuit; Castra capta ac direpta. Cæsarianorum supra mille ducentos pedites humi stratum, equitum ad duo millia. Nihil æque tamen funestam cladem reddidit, ac Veteranii mors. Rheda, qua vehebatur, cùm arborum paludumque interjectu sæpius impedita sibi non satis expediret iter, equo impositus ac fultus utrinque sociorum latere (nam vires conciderant) mox vulnerum acerbitate extinctus est. An liber, vel in hostium potestate qui assequuti eum fuissent, expiraverit, in obscuro mansit. Lugum illico, dedentibus præsidiariis; mox Karansebes vacua milite, quem inde Truchses deduxerat, in Turcarum ditionem venerunt. Utrobique ab Turcis decussa mœnia abductis machinis. Non alium retulisse victoriæ fructum, Mustaphus apud hominum vulgus male audiit. At rerum peritis non eadem sententia fuit; obstructo siquidem, qui unus illinc aperiebatur, per portam ferream in Transylvaniam aditu; quem saltum Truchses penitus intercluserat, aucto ad quatuor millia, dum iret, agmine. Et Octovir audita Veteranii clade, suppletis Varadini, Jeni, Juliæque præsidiis, ne forte illuc hostis signa flecteret, magnis itineribus ex alia parte in eam pro-

Quanta utrinque cædes, & Veteranii mors.

Germani Transylvaniæ cavent.

1695. vinciam contenderat cum omni equitatu, Devam usque progressus; unde hostibus prohibuisset Marisum transgredi, quo illinc flumine Transylvania cingitur. Petri quoque Varadino peditatum omnem Starembergius moverat, veluti in Albam græcam intentus, ne, quæ validissimæ ibi erant Turcarum copiæ, pergere, ut imperatum fuerat, ad Mustaphum possent, eumque ad Transylvanam expeditionem tanto virium incremento inducerent. Quin & Croatiæ Prætor, Gradiscia improvisò, vi Sabatio ad Savum captis, aliquam eorumdem curam in se averterat. Quamobrem Rex nihil ultra tentandum ratus nec reputandum, perinde esse: augeas ne nominis gloriam, an partam periculo obijcias: exercitum ad Istrum

Mustaphus cū exercitu recedit.

reduxit, maturius deinde ac nondum exeunte autumno in hiberna deductum; satis ducens, vicisse, ac maximum posuisse ineuntis imperii columen, conciliatum scilicet Principi re prospere gesta decus, factamque civibus bene in posterum gerendæ spem. Ipse prætorianis secum adductis cum captivorum

Byzantium redit, dimissis in hiberna militibus.

agmine captisque machinis per Valachiam, severiori militibus indicta disciplina, ut sibi hinc quoque famam benevolentiamque pareret, Byzantium rediit, urbem ingressus triumphali pompa, læto spectaculis populo, & facilè malorum ad omnem blandientis fortunæ speciem obli-

oblito. Mustapho digresso, Misniensis firmavit hibernis Transylvaniam finitimasque provincias, jussitque restitui Tybisco oppido munitionibus, Viennam se contulit, benigne ab Cæsare exceptus laudatusque, quòd parum profecissent ad rei summam Turcæ, ejus consilio & strenuitate prohibiti; nec gravius Respublica vulnus accepisset. Caprara, qui mox advenit, prius tacite insimulatus acceptæ cladis. Nemo enim, quin illam tanta viri militaris prudentia vitare potuisset, inducebat animum reputare; eique officiebat maxime, quòd senex & belli peritissimus ab adolescente armorumque inexperto Rege huc illuc circumductus elususque fuisse videretur. Verùm non eadem, quæ procul in otio conviviisque, moderandi in hostium conspectu belli ratio; pluraque ibi sermonibus decernuntur, quæ loci natura, casus, levia quoque rerum momenta fieri negant. Hæc autem in animis atque ore hominum minus erant, quàm sociale bellum, incredibili ærumnarum armorumque strepitu hoc pariter anno gestum. A. D. VII. Id. Jan. postremum obierat diem Maria magnæ Britanniæ Regina, quæ Coniuratis adversùs Jacobum ejus patrem probabile deferendi sibi, eo exauthorato, paterni regni argumentum dederat, in ejus societatem ascito iisdem auctoribus Vilhelmo conjuge, inclyto belli & pacis artibus,

1695.

Misniensis Viennam.

Mariæ Magnæ Britanniæ Reginæ obitus

1695. bus, ipsa non ultra fœmineas virtutes progressa. Quamquam autem sancitum fuerat, ut si ea prima decederet, solus ille imperii potiretur, non tamen id ratum gratumque fore civium plurimis, opinio erat; quibus, legitimi licèt Regis incuriosis, iniquum videbatur, hominem non sanguinis, non belli jure Regem cooptatum, Annæ præferri, Jacobi alteri filiæ. At præter expectationem accidit, ut nemo quidquam turbarum commoverit, cuncti contra obsequio & gratulationibus Vilhelmum sibi demereri studuerint; seu quòd Respublica perito indigeret moderatore; seu quòd rara, ubi improvisò facienda sit, rerum maximarum periclitatio. Neque occasioni Vilhelmus defuit, gnarus turbulenta civium consilia nulla obrui melius arte, quàm magnis meritis; splendentemque facinorum gloria Principem, amore aut metu, extra discrimen esse. Itaque apud regni Comitia diligentius egit, ut ingentem sibi gerendo bello pecuniam decernerent, si celeriter æquis conditionibus cum Galliæ Rege pacisci vellent. Lassescendi siquidem non obscura illum dedisse signa, dum nuper apud Sueciæ Daniæque Reges deposuerat vulgaveratque simul, quam sibi legem, ut pax conveniret, impositurus esset; ac Trajectum ad Mosam clam submiserat Harlæum Chaillerumque Batavis ad componendas, quamquam irri-

Vilhelmus ibi solus regnat.

Galli pacis cupidi, reconcilianda condi-

irrito conatu, seorsum discordias solicitandis. 1695.
Nec ea tamen adhuc proposuisse, quæ Fœderatorum securitati satis forent. Nam Batavis id se daturum dicere, ut iisdem, quibus ante initum bellum, legibus commercia cum Gallis instaurarent, Hispanasque per gyrum arces a Novoportu ad Namurcum suis præsidiis veluti promurale vallum tutarentur. Quicquid hoc bello ex Hispanorum in suam ditionem redegerat, quin & veteres de tot Belgicis oppidis controversias Hispanis remittere, retento Luxemburgo. Ab Cæsare Argentinam dato Philippoburgo Friburgoque se redempturum. De Hispaniensi hæreditate, quam Delphino filio debitam crederet, nolle transigere. Germanis ulteriorem Rheni ripam, deletis ibi Gallicis munitionibus; citeriorem, nudato mœnibus Traerbaco proximoque Monte regali, expediturum, dummodo quicquid reliquum per vicennales inducias, undecim ante annos factas, datum sibi fuerit, perpetuo firmissimoque maneat jure. Octoviro Palatino nihil ab se ademptum velle, nihil ab Aurelianensi Fratre Uxoris nomine. Liberam Regulo suo Lotharingiam redditurum, dum tamen pro duplici militari via, qua ea provincia disijcienda erat pacis Noviomagensis lege, æqui bonique ducat, Ludovicam ad Saravum flumen arcem, Homburgum, Bitahumque Gallorum esse. Ne imminere Mediolanensi

tiones proponunt, & quæ illæ fuerint.

Im-

1695. Imperio se velle videretur, Casale oppidum ut Mantuæ Duci deducto Gallico præsidio redeat, non abnuere. Britannis denique, ut quem sibi creaverint, Regem nequaquam habeant, non pugnaturum. Quæ quidem eò tendere, Vilhelmus privatis ad Proceres Legatosque sermonibus dissipabat, ut ille spatium sibi sumat ad respirandum integrandasque vires; os interea Fœderatis sublinere cedendo inopportunis ad rei summam locis, iisque retinendis, quæ, ubi vacuum Hispaniense Regnum adeundum fuerit, Cæsari Sociisque, ne tergiversari audeant, frænum injiciant, fauces obstringant. Ita qui suffragii jus obtinebant, in Vilhelmi sententiam adducti, data illico ingenti pecunia auctisque terra marique viribus, urgere bellum, ac senescentem Gallorum fortunam, quoad prosterneretur, impellere decreverunt. Valuit deinde apud socios Britannica pecunia atque auctoritas adeo, ut militari ornando ubique apparatu nullus huic annus præterit. Quod ubi cognitum Ludovico Regi, frequentiori delectu supplevit copias. Eludendo autem hostium consilio, qui diuturna armorum exercitatione ad lassitudinem ipsum redigere constituerant, placuit in regni tutela tantùm persistere, ac retundere irruentes hostes, non provocare; haud inaniter arbitratus, suas illos vires, utpote pluribus contentas nervis, & una

A Fœderatis repudiantur.

Qui ubique belli apparatus augent.

de-

debellandi spe comparatas, si frustra intendi viderint, citò remissuros; se contra, non ultra quàm opus esset, modò obnitentem, deinceps integro ac vivaciori insurgentem robore, aliam iisdem tædio ac labore confectis, quàm nunc habeant, mentem inditurum. Ex hac sententia continuum vallum ab Anelgheimo Corteriacum usque inter Scaldim Legiamque flumina opportuno magis quàm antea loco erigi jusserat, novisque munitionibus illud obfirmari, quod inde Ipras admotum ad Kenoquam arcem productum fuerat. Stare verò intra vallum præcipuas copias, quibus præfecerat Villoregii Ducem legatum. Nam Franciscus Henricus Memorantius Luxemburgi Dux ineunte anno fato cesserat magno Regis Gallorumque mœrore; nihil enim non iis prosperum ejus ductu auspiciisque evenerat. Simul Beuflerso legato negotium dederat, ut cum aliquot legionibus caute obsideret Bojoarii consilia, qui, ut hostes ab coniectando averteret, Namurcum oppugnatum iri (quod clam cum Vilhelmo Rege decretum fuerat), circa Schaldim Tenarumque fluvios aliud simulans, stativa circumferebat. Interea Vilhelmus cum exercitus robore Legiam amnem transgressus prope Kenoquam castra posuerat, miseratque Virtembergæ Ducem cum aliquot legionibus, qui arcem illam aperta vi, non diuturno munitio-

1695.

Quod fuerit Gallorum consilium.

Quomodo Regni tutelę providerint.

Luxemburgi Dux moritur.

1695. tionum opere invaderet. Sæpius ab ipso mœnia continensque tentatus agger ea ferocia, ut Villoregius suppleto præsidio admotoque propius exercitu illuc traductam belli summam reputaverit. At postquam satis fefellisse hostem Virtembergensi, octo jam ibi traductis diebus, visum est, copias, veluti male cœptis succederet, referre instituit; dum interim Vilhelmus Rex cum exercitus parte, Bojoarius cum decem peditum legionibus ab tergo subductis rectà Namurcum magnis itineribus ire contendunt. Beuflersus ubi primùm accepit hostes movere signa, quod isti consilium arripuissent, suspicatus, nullam interposuit moram quin eò citatis equis adduceret septem sagittariorum equitum legiones. Dinantium profectus, trajectaque ibi Mosa, ut ex aversa maxime ab hostibus parte Namurcum intraret, rem feliciter, cùm illi jam ex altera in oppidi conspectum prodirent, est assequutus. Ceterùm, si vis quoque ad aperiendam sibi viam adhibenda fuisset, secum adduxerat Harcurtum prolegato cum equitum ala, qua Dinantio circumjacentem oram tutabatur; eam verò, statim ut certus intrandi fuit, simul cum Sagittariorum equis, qui obsessis graves nullique fuissent usui, redire jussit. Hac ope auctum præsidium quatuordecim explevit armatorum millia. Addebant robur illustres auctoritate & belli

Vilhelmus Rex Namurcum petit, illud oppugnaturus.

belli arte Beuflersus Legatus, Guiscardus urbis præfectus, Megrignius instructor exercitus, qui primas post Vaubanum militaris Architecti laudes ferebat. Reliquus apparatus tanto molimini par. Et Fœderatis quicquid ad facinus difficillimum usui erant, immodice affluebat. Inter cetera centum quindecim arietes, sex & quinquaginta pyrolmi lintribus illuc Leodio Trajectoque adducti. Milites diversa e parte conglobati ad centum viginti millia. Tres patent ad oppidum ejusque munitiones aditus; unus Septemtrionem Mosam inter ac Sabim, isque a Rege Vilhelmo; alter qui eadem inter flumina Occasum respicit, ab Octoviro; tertius in meridiem versus occludebatur a Barone Heydeno Brandeburgensium duce. Firmatis stationibus duplex ducitur agger ad extremam utrinque urbis oram, ubi Mosa mœnia subit aut deserit. Hic ante portam D. Nicolao sacram semilunare jacet munimentum, ac duo, quibus istud cingitur, propugnacula castellis aliquot obsepiuntur. Illic in confluentium angulo salebrosi tumuli supercilium circumibat interioribus occultandis operibus recens vallum. Utrobique horribili strepitu admotus aries verbera geminabat; dum continens e pyrolmis procella nunquam toto oppugnationis tempore sævire desiit. Præsidiarii primùm crebris eruptionibus hanc ab se amoliri pestem di-

1695.

Celeberrima oppugnatio describitur.

1695. diruendo progredientem aggerem, non sine mutua cæde conabantur; sed operibus tandem ad fossæ labrum productis, stare illi intra mœnia, sibique tantùm cavere coacti sunt. Tumultuarium erexerant aggerem in clivo collis imminentis Bugeo vico, quo aggere iter ad oppugnatam oppidi partem obsidebatur. Hunc quinædenæ Fœderatorum centuriæ, cum ejus non parum machinis decussum foret, superare aggressæ, nongentum suorum strage didicerunt, cum valido obstinatoque præsidio rem sibi esse. Bis enim repulsi cum ferocius ad pugnam rediissent, Reignacus Tribunus militum, cui datum inibi imperium erat, simulato discessu, hostes illexit in aream pervadere substratam maioribus minoribusque incendiariis ollis; quibus ignescentibus dilaceratos contritosque oppidani rursus egressi cumulata cæde pepulerunt. Non tulit Vilhelmus Rex tantam audaciam; sed arietantibus dato ad laxandum aditum tridui spatio, duodecim millium agmen per ignem ac ferrum aggerataque cæsorum corpora viam sternere; ac supervadere munimentum jussit. Galli ad vim propulsandam accurrerant ingenti numero. Pugnam furor potiùs quàm ars aut consilium direxit, animis horribili spectaculo, strepitu, ac tumultu ab sensu periculi abalienatis: Mars nunquam atrocius exarsit. Angusto siquidem loco & con-

fer-

fertissima turba, omnique missilium genere 1695.
certatum est. Ter impulsi oppidani, ter vice sua hostem repulere, adeo ut hic pedem intra munitionem figere prope desperaverit. Verùm aderant commixti gregariis centuriones tribunique, majorum quoque ducum aliquot, qui armata gladio manu ac nisu corporis præeuntes, animum fessis reddidere. Itaque sublato ad se se instigandos clamore tanta rursus vi dedere impressionem, ut immanem impetum præsidiarii sustinere diutius nequiverint; recedentesque in ulteriora munimenta vacuum cessere Fœderatis locum, postquam horum duo illic millia morte mactassent; plus totidem inutiles prælio vulneribus reddidissent. Gallorum trecenti cecidere, quingenti sauciati. Aliquot deinde consumpti dies contiguis minoris momenti operibus subigendis, subruendaque semilunaris parmæ duumque propugnaculorum fronte, quibus nuncupata D. Nicolai nomine interiacet porta. Usque verberando ubique non parva mœnium strages edita, fractumque fluvialis aquæ retinaculum, quo altior in promurali fossa detinebatur. Aperto ad irruendum itinere, ducenti ex unaqualibet legione deliguntur, conflaturque duodecim amplius millium globus, in hujusmodi pugnæ dubiam difficilemque aleam se commissurus. Primò in circumpositam munimento viam te-

 ctam

1695. ctam irruit. At semel atque iterum ab Gallis repressus pedem retulit. Pars tantùm gliscens per Mosæ ripam, latius aquarum inopia in alveum se demittentem, duo illa perculsa propugnacula obiectamque parmam aggreditur. Quadruplici licèt pressi certamine non minuere præsidiarii animos, parique ferocia obnitebantur, undique telis micantes, aperto etiam corpore, ut certius jacularentur, supra muros elati. Quin & injecto in sulphuratum pulverem, tribus contentum cuniculis, igne discerpunt sub oppugnatores humum, pluresque ruinis involvunt. Post quatuor pugna cessavit horas, frustra tandiu Fœderatorum, ut in altum scanderent, contentis viribus. Constitere tamen ad viæ tectæ caput aggestis ante se lanæ saccis. Quamquam iis paulo post concepta flamma dissipatis, locum muralibus iterum apertum jaculis, quibus plurimi absumebantur, citò deseruerunt. In ea pugna duo prope ipsorum millia obtruncata, totidem illata vulnera. Gallorum quingenti necati, par fere sauciorum numerus. Illi nihilo secius ferociores quatriduo post ad pugnam rediere. Nec dispar oppidanorum pertinacia enituit. Repetitum facinus tria millia Fœderatis absumpsit, magno vicissim oppidanorum damno, quibus propterea vetare hostem, ne in ruderum clivo ad extremi supra Mosam

pro-

propugnaculi frontem firma statione pedem figeret, haudquaquam licuit. Satis ad oppidi propugnationem consumptum erat virium; reliquas ad arcium ultra Sabim tutelam reservandas utiliori consilio Beuflersus censuit. Ergo proposito deditionis signo, postquam unum ac viginti dies vim repulisset, facilè de conditionibus conventum est. Præsidiarii bidui spatio in arces abscederent, suam domesticam libere ferentes rem. Ne cui civium fraudi esset, Gallos dicto, re, aut armis juvisse. Eos priscæ manerent immunitates, inviolataque Romana Religio, nec alia apnd ipsos coleretur. Cetera minoris momenti usitatique moris. Capta urbe, machinarum armorumque tempestas omnis in arces ingruit. Hæ bicipiti in jugo binæ surgunt. Quæ propius Sabim, ab Rege Vilhelmo nomen habet. Altera secus Mosam ab ipsa urbe. Media jacébat rusticana domus, quam Galli munitionibus cinxerant; indeque oppugnatoribus, si se se admoverent, minitabantur. Conditum insuper in crepidine asperi collis vallum interiores munitiones, ut diximus, complectebatur. Istuc initio duxerant Fœderati vineas, incussoque ariete, aliquam ejus partem solo æquaverant; transilientesque, dum quadringentos præsidiarios illinc depulsos insectabantur, vicem suam terga dederant, territi mille suorum cæde;

1695.

Urbs Fœderatis deditur.

Qui ad arces superandas se vertunt.

1695. de; quam catapultæ ex illa munita domo, nongentique oppidani, prius humi strati ut incaute subeuntium oculos effugerent, mox in pedes erecti minutis telis ediderant. Quamquam repressi, non ita multo post majori agmine redeuntes, aggerisque potiti stabilem ibi sedem locaverant. Lentius deinde ab ea parte, dum in oppidum præcipuis viribus conandum fuit, oppugnatio processerat; donec ibi pariter ingentibus factis nobilitata est. In arces transgressos Beuflersum, Guiscardum, Megrignium cum omni residuo urbano præsidio, majus rei pretium exacturos ab hostibus palam erat; dare verò non abnuisse Vilhelmum Regem, sane patuit. Plures interseptis quaquaversum aggeribus obtinendis consumpti dies. Aperto explicatoque ad muros aditu, centum quindecim muralibus tormentis mœnia, sex ac quinquaginta pyrolmis tecta atque interiores areæ verberari cœptæ. Atrox procella ex urbe, ut ex infesto magis loco, potissimum irruebat; qua parte (quamquam Galli duos ante annos annuerant) inducias fieri Vilhelmus negaverat; & Beuflersus in eam invicem sævire aggressus, citò cessaverat suorum misertus, quos illic morbo aut vulneribus detentos Fœderati, si cives læderentur, pœnas daturos minitabantur. Incussus aries utriusque arcis intermediæque munitionis loricam decusserat, jam

jamque ipsæ ad molliendum iter feriebantur ruinæ. Cum validissimo enim præsidio contendendum erat, quod septem amplius millibus post deditam urbem conflatum parum adhuc detrimenti fecerat. Cuncta ad irrumpendum composita, & res tentando facinori matura videbatur, cùm non nihil protrahendum Vilhelmo Regi Octoviroque placuit; reputantibus, prius, Villoregium, qui non procul cum omni exercitu aberat, solvendæ obsidionis spe deijciendum esse. Hic serò signa eò verterat, certus Namurci oppugnationem moræ plurimum habituram ac sibi spatium fore, quo prius alibi vastata hostium regione iis illic deinde superveniret labore erumnaque delibitatis. Itaque, ubi vidit se suo delusum proposito & Namurcum periclitari, rem cogitavit cui si arrisisset fortuna, sibi, quod illusus, maximum decus; Fœderatis, quòd sagaciter illusissent, ingens obventurum damnum ac perniciei erat. Tricena hominum millia Carolo Henrico Valdemontii Principi, quibus trans Legiam & Schaldim amnes regionem tutaretur, Vilhelmus reliquerat. Ille prope Voutereghemum vicum non longe ab Legia castra tuto posuerat loco edito in colle; fronti ac lateribus, difficili quamvis aditu, vallum circumduxerat. Eos oppressurus, illuc Villoregius tacite signa duxit, jusso Montali Comite pro-

1695.

Galli ad opem ferendam movent.

Prius frustra Fœderatis insidiati ubi, & quomodo.

1695. prolegato decem armatorum millia, quibus ad Iprensem aggerem excubabat, ab tergo objicere, gradu per transversum iter accelerato. Re pridie, quàm advenirent, comperta; & quid sibi impenderet periculi, Valdemontius cognito, vallum diligentius muniri per noctem instituit, veluti obniti irruentibus vellet. Qua specie deceptos Gallos minus festinanter, ut cùm tempus suppeteret, subituros arbitrabatur, sibique ad tutum receptum spatium fore. Interim silentio noctis impedimenta majoresque machinas Deinsam, indeque per Legiam amnem Gandavum misit. Orta luce, Villoregium ab fronte, Montalum ab dextro latere segnius, moram quoque faciente saltuosa nonnunquam via, ad se progredientes novit. Eò diligentiùs peditatum, primò clam e castris subductum, ire Gandavum (dillabat passuum ad decem millia) cùm reliquis tormentis edixit. Quod ut adventantibus Gallis occuleret, vallum utrinque alis equitum sepserat, ne interius penetrare obtutu possent. Postquam verò paullo post meridiem se se Galli in conspectum dederunt, equitatum sensim dimisit, postremæque turmæ, agmen claudentes, subsequutæ, castra vacua elusumque illorum consilium aperuerunt. Recedentium tamen quingentis ad angusta viarum, ubi se se extenuabant ordines, trucidatis: Magnum

Val-

Valdemontio decus attulit parta ſuis tanto in periculo ſalus, qua de re cum ipſo Vilhelmus per literas gratulatus, id bellicæ magis artis fuiſſe, quàm hoſtem pugnando vincere, profeſſus eſt. Villoregius elapſam prope e manibus rei bene gerendæ occaſionem aliquo facinore revocaturus, Novumportum proximo in litore tentare ſtatuit; Montalo cum ea, quam ſecum adduxerat, militum manu, eò confeſtim dimiſſo. At Valdemontius, cùm in propinquo eſſet hoſtis, oppido metuens Fœderatis opportuniſſimo, præſidium ſupplere anteverterat, miſeratque Virtembergenſium Regulum, qui periculo caveret ac ſummum illic imperium gereret. Is adveniens, apertis pelagi clauſtris inductiſque circùm fluctibus omnem Gallis, qui iam propius acceſſerant, ademit ſubeundi ſpem. Montalus Dixmudam e re nata, ne nihil ageret, flexit ſigna; quam biduo admotis vineis expeditiſque tormentis in poteſtatem habuit, quamquam non leviter munitam, & valido inſeſſam quinque fere millium præſidio. Verùm Præfecto Jo: Antonio Ellembergo Inſtructori exercitus extemplo cecidit adeo animus, ut nondum laceris ariete muris, ſe ſe, præſidium, urbemque in hoſtium ditionem tradiderit; unde paullo poſt ſoluto pretio redux, timiditatis pœnas capite luit; duces, qui deditioni conſenſerant, e mili-

1695.

Galli Novum portum fruſtra tentant.

Dixmudam capiunt.

1695. militia dimissi. 'Montalus nudato mœnibus oppido, & copiarum parte secum intra Iprense vallum adducta, reliquas Villoregio remisit;
Ac Deinsam. cui per eos ipsos dies Deinsa vixdum signis admotis, in ditionem concessit cum bis mille præsidiariis, ipsoque Præfecto Francisco Fergusio; qui pariter pretio libertatem adeptus, multatusque ignominia, ab signis depulsus est, acceleratæ nimium deditionis reus. Ceterùm oppidum neglectis jamdudum munitionibus vim sustinere haudquaquam poterat. Decussis ibi quoque mœnibus, Bruxellas Villoregius iter continuavit, urbi opulentissimæ, Belgijque Hispaniensis principi, vastitatis periculum objecturus, si forte eo commotus Octovir, &
Bruxellas petunt. Civium suæque præcipue misertus Conjugis, quæ ibi uterum gestans commorabatur, ad illud avertendum Copias ab Namurco abduceret, laxaretque obsessorum angustias dato aliquo ad respirandum spatio. Nihil tamen illic motum, obfirmato ad omne discrimen Vilhelmo Rege dummodo cœptum facinus urgeret absolveretque. Conscius itidem, ne Bruxellæ vi superari possent, Valdemontium prospexisse, eò suis per obliquum iter traductis Copiis, sub ipsisque mœnibus ex adversa parte castra metatum. Itaque Villoregius, cùm aliud non liceret, verberandam urbem constituit. Prius autem Bergarum Principi, qui
Ollis incendiariis obruunt. cum

cum ſex millium præſidio præerat oppido, per 1695.
literas renuntiavit, ſe diram procellam non immiſſurum, dummodo pacto convenirent, Britannos Batavoſque pari benignitate in maritimas Galliæ urbes uſuros, quas juſto exercitu non oppugnarent. Senſit Præfectus Ludovici Regis ſagacitatem, qui Maclopoli aliiſque ad Oceanum locis per eos dies ignem vomentium ollarum impetu perculſis, tot reliquis eidem obnoxiis periculo, Bruxellarum ſalute, cui modò inſultare poſſet, cavere vellet. Ille præter oblatas ſex horarum inducias, alterius quæſito diei ſpatio ad deliberandum interpellandumque Vilhelmum Regem, non auditus; creditus quippe moram accerſendis accipiendiſque auxillis, interponere. Ergo diſpoſitis machinis atrox illico pyrochitrorum tempeſtas tres prope continuos dies ac noctes inhorruit, incredibili publicarum privatarumque ædium ſtrage, quarum plus dimidio incenſum aut labefactatum vulgò fuiſſe increbruit. *Ingenti ruina.* Villoregii juſſu ea tantùm pars immunis evaſit, ubi Bojoarij Conjugem, intempeſtivo edito fetu, adverſa valetudo conflictabat. Inde Gallicus exercitus ad centum fere armatorum auctus millia, collecta undique ad ferendam obſeſſis opem, rectà Namurcum ire contendit. *Ad opem dein de Namurco ferendam pergunt.* Proficiſcenti Valdemontius, ſuos extemplo (tricies quinque hominum erant millia) il-

 luc

1695. luc ducere exorsus, antevertit ingrediturque castra, jam ante a Vilhelmo Rege tutissimo sita loco, unde suppetias oppido interclusurus erat. Modico surgebant tumulo, aut stagnantibus aquis aut densa circùm obsito sylva: nec longe fluebat Mehaigna rivus. Mollius a fronte patebat iter, ubi triplex & lata via contiguum nemus dividebat. Sed illud munitissimo pluribusque tormentis instructo vallo Fœderati obsepserant, aucti ad nonagies prope millia. Eò quippe convenerant dispersi quaquaversùm militum globi, validamque manum ab Rheno adduxerat Hassiæ Cassellensis Princeps, nec pluribus quàm duodovicenis millibus Namurcum per eos dies urgeri Vilhelmus constituerat. Ipse lustrato loco, delegataque repellendi hostis cura Valdemontii Principi, illuc regressus, dare postremum in arces impetum, ne quis casus corrumperet jam prope maturum facinus, induxit animum. Interea Villoregius, Orno prope Gumblecum traducto rivo, nemus, quod ab D. Dyonisio nomen habet, exercitu circumdedit, postridie hostium vallum subiturus. Orta luce cum majoribus Ducibus, equitum tectus agmine, quà commodius irrumperet, speculatum processit. Impenetrabile ubique visum est, tenuitque omnium sententia, temerario ausu abstinendum esse, quo Gallicæ vires certa pernicie frangendæ

Fœderati se se opponunt, & quomodo.

dæ forent, cùm præsertim interscisso stagnis propinquo solo cornua commeare nequirent ad mutuam opem. Tentandum potius, an alibi hostis faciliori via se se aperiret. Itaque circumflexus ad Mehaignam exercitus, lævam ejus ripam prætexuit, immisso ponte, si se daret occasio, traiecturus. Prima sex equitum millia, vixdum eò pervenerant, Fœderatorum pari numero turmas aggrediuntur. Inita pugna parum istæ locum tenuere, sylvam repetentes, paratis ibi hostem insidiis excepturæ, si premeret recedentium vestigia. Nec res caruit eventu. In plagas ingressum a tergo a fronte Fœderati ex occulto efferuntur illata pluribus nece, objectoque Cænomanorum Duci præsenti periculo ex equi vulnere. Conserto prælio stetere primùm Galli, dein facto cuneo explicuere sibi ab tergo viam. In apertum egressi, cùm nemo insequeretur, ad Sylvæ marginem continuere gradum, dederuntque Villoregio copiam circumspectandi impervium undique objectum vallum. Posita proinde perrumpendi spe dissolvendæque obsidionis, pedem referre consilium cœpit. Quæ dum illic geruntur, extremo conatu in ipsis arcium ruinis acie concurritur. Quadruplex Fœderatorum agmen quatuor simul inferunt legati. Cutsio Britanno optimati tria suæ gentis millia & quingenti ad imminens Mosæ

1695.

Galli desperata pervadendi opportunitate recedunt.

ca-

1695. *Postremi Fœderatorũ contra Namurcum conatus.* castellum superandum traduntur. Riveræ Comiti viginti Batavorum centuriæ, decem Boioariorum ad Vilhelmiticam munitionem, ubi dirutis mœnibus dabat iter. In adversam ejus faciem Caurus, ut præsidiarios illuc distraheret, duobus Brandeburgensium Batavorumque millibus irrupturus erat. Medium aggredi munimentum pari agmine Schuverinus jussus. Quingenti milites interjacente locati valle, depulsuri hostem, si alterutro effusus propugnaculo, subeuntium ruinas terga cæderet. Sol jam prope ad meridiem processerat, cùm unà se omnes immittunt. Trecenti pyrochitrophori conscenso ruderum clivo transmosanam munitionem primi tentare ausi, diu urgendo steterunt in ipso aditu, quamquam ferro, flamma, telis haud parum absumpti. At cùm nemo fessis cæsisque succederet, integraretque ordines, terga inordinati dare coacti sunt. Nec fuga sine magna cæde explicari potuit, interrumpentibus iter subsidiariis cohortibus; quas, dum ad opem ferendam insurgunt, tumultu impleverat ille quingentum positus in valle globus, ab erumpentibus Gallis in fugam conjectus; immixtusque dissolverat suorum, ad aperta mœnia progredientium, ordines. Ad alias munitiones varia fortuna pugnatum est. Medium Castellum, frustra obnitentibus Gallis, vi Fœderati abstulerunt. A Vil-

Vilhelmitico bis terque repulsi stravere cadaveribus quicquid circumjacentis agri muralibus pyrobalistis curulibusque machinis interius erat. Fossæ marginem, qua parte aries nudaverat muros, sudibus obsepserant præsidiarii, armaverantque locum frequenti milite, qui per vallorum intervalla emittens jacula hostem diu illinc submovit, nitentem progredi, multaque repulsum cæde. Quod ubi Cutsius Legatus vidit, facto quingentum suorum cuneo: Tanta ne, inquit, injuria ferenda est? Galli e cancellis vix non impunè sanguinem nostrum hauriunt; nosque inultos fragile tenet claustrum. Næ satius moriendo piare tantum dedecus, quàm illud pati, vita superstite. Hæc ubi dicta, impressionem dedit, redditoque ceteris animo cruentum inibi prælium concitavit. Ad illatum ferociori tumultu periculum affuere omni missilium genere oppidani, accensaque pugna, quæ per eam oppugnationem inter ferociores diuturnioresque celebratur, alios ad enitendum urgente proximi auxilii spe, alios deferendæ ibi vitæ timore. Plus tandem potuit Fœderatorum virtus. Siquidem convulsa palorum sepe congressi pepulere hostem intra mœnia, eò tamen penetrare non ausi, quippe quibus fessis iterum ad stratæ loricæ fauces confligendum fuisset. Illic enim instructis ordinibus quicquid supe- 1695.

1695. ſupererat militum, in acie ſtabat. Tenuere ſe tamen prope murorum rudera, & ad alterum munitionis latus, ubi diu quoque, multùmque certatum eſt; in foſſæ labro utrobique educto ſubitario aggere, quo ſe contexerunt. Sæviit ea dimicatio quinque amplius horas abſtulitque Fœderatis ſex, Gallis hominum duo millia cæſa aut vulnerata. Non illi tamen ferali aſpectu conterriti remiſere ferociam, ſed uno tantùm intermiſſo die vehementius iterare impetum conſtituerant, ni mutuam prævertiſſet novam cladem Beuflerſus clam a Villoregio admonitus, nullam ſibi amplius ferendæ opis adeſſe ſpem. Itaque poſtridie Kal. Sept. tolerata unum & quinquaginta dies oppugnatione ſignum deditionis propoſuit. Conventum, ut omni militari honore cum ſex curulibus tormentis biniſque pyrolmis, quantum reliqui præſidii erat, diſcederet. Fuere militum quinque millia quingenti, quos inter vulneribus plures conciſi. Novem iis fere millia per omne diriſſimæ oppugnationis tempus Mars deleverat, vicena millia Fœderatis; immane illuſtris facinoris pretium, ni ſibi vano gloriæ nomine illuderet Mortalium genus. Abeuntium claudebat agmen Beuflerſus, cui cum aliis abire vetito & ſui eſſe juris, inclamantique fractam fidem cuſtodes additi. Ductus Trajectum ad Moſam ac liberali ex-

Præſidiarii de deditione agunt.

Conveniuntque honorificis conditionibus.

Beuflerſus legatus, dum diſcederet, retinetur, & quare.

exceptus hospitio nullum non retulit humanitatis officiique genus. Ubi nuntiatum Ludovico Regi, causam esse retinendi Legati, obortam Vilhelmo Regi suspicionem, deditìtios capta Deinsa Diximundaque in Galliam abductos redemptione prohiberi, eos illico accepto pretio dimitti voluit; Legatumque sibi restitutum, Guiscardum, Megrignium, aliosque Namurcensi obsidione defunctos duces, præmiis, quodque militari viro æque gratum, laudibus ornavit; fatus, beneficii se prope loco accepisse, tantos hostium bellicos apparatus unius consumptos urbis expugnatione. Non ita multo post in hiberna discessum, ubi fractus utrinque laboribus miles otio se reficeret. Vilhelmus Namurci, præsidio atque operibus validissimi, in hostium conspectu feliciter expugnati plausu a Germanis Batavisque, quorum maxime id intererat, elatus, mature in Britanniā rediit, gnarus, occultis illic non modo Procerum, sed & vulgi dissipari sermonibus, impar tantæ moli collectisque tributis relatum operæ pretium. Nam & ingentes classes, effuso ærario ornatæ comparatæque, nihil memorabile per æstatem gesserant, illato solùm incendio maritimis aliquot Galliæ oppidis levi privato damno, vix ulla ad rei summam utilitate; adeo bellum efferaverat nullo facto sæviendi modo. Initio æstatis Berkleius Britannicæ, Al- 1695.

Dimittitur; concesso Fœderatis, quicquid ejus retinendi causa fuerat.

1695. lemondus Batavæ classis præfecti cum octo & viginti bellicis navibus, incendiariis novem, pyrolmophoris vicenis, quatuordecim plana carina, ut vadis innarent, ex Anglia Maclovium ituri, vela in altum dedere. Est a Britanniæ minoris litore vix discissa parva insula D. Aaronis nomine, vadosusque ibi Oceanus; qui tamen alicubi inter eminentes e fluctu scopulos angusto profundoque freto navibus pandit iter, easque prope continentem tutissimo excipit amplissimoque portu. Scopulorum qui duo utrinque surgunt ad freti fauces, validis castellis muniuntur; alii minores bellicis tormentis instructi portum ingredi hostibus negant. Mœnia, Maclovium celebre emporium claudentia, circumeunt insulam, quam continenti fabrefactus conjungit agger. Illuc appulsa Fœderatorum classis prominentes ad portus ostium arces ferire undique telis cœpit; spe, deletas aut quassatas pyrolmophoris fretum ingredi non interdicturas, unde solum justo intervallo concuti ac lacerari ollis incendiariis oppidum poterat. Compacti silice muri nullo suo damno tela refringebant; quocirca duæ immissæ tartareæ, ut vocant, naves, quæ appositæ, ferente fluctu, ipsos discuterent sulphurati vi pulveris contentique alveo ignescentis bituminis in feralem usum. Harum altera viam erravit scopulo infixa, se seque inaniter disje-

Maritimæ Fœderatorum in Gallos expeditiones.

Maclovium ollis incendiariis discerpere tentant, inutili eventu, qui describitur.

disjecit. Altera Concheæ, quam dicunt, arci succedens, terribili fragore immensoque igne, frustra quoque baccata est. Steterunt siquidem robore suo concussa mœnia, aliquæ tantum ligneæ casæ ad scopuli radices concepta flamma periere. Sed aer teterrimo vapore atroque obductus fumo duas horas diem abstulit, deditque sexdecim pyrolmophoris bellicisque octo navibus fiduciam clam per caliginem, ut sibi antea proposuerant, fretum intrandi. Nec mora nec requie nongentas ollas pharetrasque pyrolmi in oppidum vomuere. Hinc tecta ruinis involuta, tolerabili tamen ærumna, cùm vix trium sequuta sit hominum cædes, & parum flamma se diffuderit, compressa repentè ab oppidanis, vixdum in tecta pervaserat; tanta in id rei Polastronus urbis præfectus tempestive remedia comparaverat. Verum ubi denique desidente fumo reddita lux, tam infesta undique in ingressas fretum naves ex oppido circumjectisque munitionibus irruit missilium vis, ut, quandoquidem tantam sustinere procellam sine certa pernicie non possent, sub occasum præcisis anchoralibus, extemplo ad Classem redire, diei prope dimidium ejaculatæ, consilium cœperint, una pyrolmophora lembisque aliquot telo fractis, parva hominum, ingenti navalis instrumenti clade. Classis inde ad propinquam Cæsaream insulam se 1695.

1695. se adjecit. Hinc octo pyrolmophoræ, totidem bellicæ naves in adversum continentem dimissæ, Magnævillæ ignem stragemque intulere. Oppido aliquot horas ollis incendiariis perculso, rediere cum ceteris navibus ad Angliæ litus. Nec ita multo post novo missilium apparatu instructæ Dunquerquam petunt, opinati, ruinam, quam superiori anno effugerat, modò non evasuram. Nam pyrolmos ferebat, longius arte addita jaculantes, evertendisque objectis per vada molibus, procul aditum prohibentibus, validiores machinas. Inani tamen eventu. Nam duodèvigiuti biremes, majoraque tormenta ex ulteriori castello geminisque ligneis substructionibus longius ab litore, ubi sunt brevia, surgentibus, quæ mari objectæ tutum navibus portum præbent, pyrolmophoras procul arcebant, frustra proinde in oppidum mille ducentis igniferis ollis debaccatas. Spes Fœderatis erat reliqua in horrenda illa tartarearum navium compage, quarum dissilientium impetu porrecta longius in mare munimenta dissiparentur. Quatuor simul, æstu secundo, illuc adigebantur, cùm totidem ab oppidanis immissæ biremes felici temeritate illas harpagonibus illigatas in proxima vada secum traxere, ubi formidabili fragore immensaque flamma sui spectaculum eò jucundius Civibus dedere, quò dudum ab iis vehementius timuerant

Alias maritimas Galliæ urbes incendio labefactant.

Dunquerquam frustra verberandam suscipiunt.

rant

rant. Inde Classis, una minor humiliori bellica nave, in scopulos impacta haustaque hostium igne, Caletum processit. Biremibus illic quoque, micantibusque ex arce, quæ medios in fluctus protenditur, telis non parum repulsa ignivomentium ollarum pestis. Oppidum tamen centum quinquagenisque, cum pyrolmi longe plurimas contorsissent, vulneratum; excitataque alicubi flamma; sed vetita, parato popularium occursu, late serpere, exhaustisque anteà domibus, levi damno grassata est. Classis deinde in Angliam se restituit, nusquam ausa milites ad populandum exponere. Choeselius enim legatus, cui hoc pariter anno Oceani litus provincia obvenerat, ne impune id hostibus eveniret, legionariorum stationibus promptaque a Provincialibus ope sedulò prospexerat. Hac, dira licet, expeditione Fœderati haudquaquam æquarunt illatum suæ genti damnum a Gallicis piratis, per id prope tempus plurium præda navium potitis, unius in primis trecentum Coronatorum millium pretio distractæ, quæ ditissimas Indorum merces vehebat. Nec luculentiorem ab altera classe, fretum Gaditanum Russelo prætore ingressa, fructum retulerunt; quamquam non parvi ducenda fuerit suis onerariis aperta in Asiam navigatio, & aversæ ab Italia Hispaniaque nonnullæ ad Provinciæ tutandum litus hostium legiones. Russelus

1695.

Caleti eandem procellam ferunt.

Piratica Gallorum naves magnas referunt ex hostibus prædas.

1695. ſelus cum quadraginta bellicis Britannicis navibus, Batavis undeviginti, incendiariis undecim, decem pyrolmophoris, aliiſque minoribus navigiis, quæ Gadibus hiemaverant, initio æſtatis illinc ſolverat, ſecum onerariis pluribus, quibus præſidio foret, adductis. Dum legeret Maſſilienſem ac Telonenſem oram, an illuc milites ad prædandum exponeret, ſuſpicionem dedit Tourvillo legato; qui, dum otioſæ inornatæque ſuæ claſſis ſtarent Telonis in portu naves, nauticis viribus in terram eductis vocatiſque ad ſigna popularium cohortibus operam ſuam tutandæ circùm regioni ſummo cum imperio commodabat. Sed Ruſſelus eam prætergreſſus, ac paulo poſt onerariis in Aſiam dimiſſis, prope Finalis portum vela contraxit. Illinc quatuor Germanorum millibus, quos ab Italico exercitu in Cataloniam ducebat Georgius e principe Haſſiæ Darmſtadienſis domo, in naves acceptos, eò proras circumflexit. Relegens Provinciæ litus, cùm decem amplius armatorum millibus vigeret, novum intulit incolis metum, ne quid, facto in continentem deſcenſu, tentaret. Verùm procul ab ejus conſpectu tempeſtate abreptus vagatuſque aliquot dies, rectà Barcinonem auxiliares Germanos adduxit; Palamum inde digreſſus, quod ejus quoque freti viribus Hiſpani oppugnandum ſibi propoſuerant. Hos enim ingens extimulabat

Altera Fæderatorum claſſis in Mediterraneo quid egerit.

Exponere in Gallicum litus milites non auſa.

cura

cura pudore mixta, in Cataloniæ visceribus hærere tamdiu Gallos, ac Barcinoni regionis capiti vim flammamque minitari. Vicena proinde collegerant armatorum millia, dederantque Castanagæ Marchioni, qui eam provinciam moderandam acceperat, negotium, ut captis oppidis hostem deturbaret. Ille per hyemem Olstaricum Egosamque, obstructis circùm saltubus, commeatibus interdixerat adeò, ut mox utrumque fame coactum in sua potestate habiturus esset. Huic malo Noallius occurrere pertentaverat, dato sub Veris initium Sylvestropolis dynastæ prolegato quatuor millibus armatorum, qui explicatis itineribus annonam laxarent. At non satis ex ejus sententia res evenerat. Stationes aggressus, non uno depulerat hostem loco, Egosamque quadringenti clitellarii muli cum commeatibus agebantur. Pars tamen Montanorum vim, catervatim per invia discurrentium juga, haud effugerat; iique cum aliquot legionariorum cohortibus Joanne Acugna duce circumducti celeriter ad insidiosa loca, remeantium Gallorum agmen multa cæde minuerant. Magnis itaque viribus aperiendi brevi mora saltus erant, frequentiori præsidio & aliquo munimento per eos dies arctius obstricti, ne iterum obsessos alimenta deficerent, quorum inopia citò redierat. Itaque Ludovicus Vindocini Dux, Noallio ægra detento valetu-

1695. Hispani Palamum oppugnant.

Galli capta dudum Cathaloniæ oppida commeatibus recreant.

1695. letudine successor datus, suam in id rei navare operam, dignum duxit. Decem millium stipatus agmine, ubi ad Egusianos saltus pervenit, angusta editaque loca insessa praesidiis videt. Gemina erat vallis, qua patebat Egossam iter. Utramque simul intrat, spe, divisos

Non sine pugna.

hostes facilius deturbari loco posse. Nec falsus fuit. In dextra bis terve non leve ad expugnandas munitas aliquot in collium flexu aedes initum praelium est. In laeva primis vix telis certatum. Utrinque pulsis Hispanis, Egossam primùm, mox Olstaricum petit; certusque, iis inter hostium stationes difficilesque montes locatis, mox annonam iterum defuturam, praesidia secum deducere atque evertere munitiones, induxit animum. Illinc ad Thicim flumen descendit, Palamo auxiliaturus, quod hostes ad oppugnandum sibi destinasse cognoverat. Nec diu fuit, cùm illuc Castanagae Marchio militum viginti millia, Russelus quinquaginta Foederatorum bellicas naves, quatuor Hispaniensium, & horum vicenas quinqueremes admovit. Confestim Vindocinus eò se contulit, acie decreturus, quamquam hostilis exercitus dimidio major; sed hujus contemnebat auctas Tyronum delectu vires. Castra Hispanus posuerat confragroso undique munitoque natura loco, praeterquam ab dextra, ubi acclivis tumulus sese

Illinc deducunt sucrum praesidia, ac dejectis munitionibus discedunt.

Palamum Britanni, atque Hispani urgent.

se se erigebat. Isthinc postridie hostem aggredi Galli decreverant. Quod ubi a perfugis renuntiatum Hispanus accepit, accersitis Classiariorum quinque millibus, nocte demum, ad clivi radices positam, præsidio erectoque vallo viam obsepit. Id Vindocinum tenuit, ne se tantum in discrimen committeret. Jusso autem Aubete prolegato quatuor millium globum ad se adducere, quo Montanorum infestissimæ gentis catervas ab incursando per ea loca distinere mandaverat, ad pugnam diligentius se se instruebat. Cùm repentè Russelus, classiariis ad naves revocatis, vela in Gallicum sinum fecit. Nec mora Hispanus ab oppido recessit, militesque paullo post in hiberna distribuit. Quid Russelo repentini discessus occasionem dederit, non satis constitit. Aliis creditum, obortas inter Castanagam ipsumque de statuendo communis imperii modo contentiones causæ publicæ nocuisse; nec ab hujusmodi opinione, Russeli citò in Angliam revocati eventus dissensit. Aliis nuntio percitum: quinquagenas Gallorum bellicas naves e Telonis portu sublatis anchoris jam prope digredi; veritumque ne Fœderatorum actuarias ex Asia uno agmine redeuntes interciperent; hostes ab eo consilio dimoturum, illuc extemplo navigasse. Et Galli quidem portu se tenuere; ipse munito actuariis itinere

1695.
Galli auxiliatum pergunt.

Britanni oppidi oppugnationem deserunt, incertum qua causa.

1695. Gades hiematum rediit. Inter hæc Vindocinus, Palami deletis munitionibus abductoque præsidio, suos & ipse in hiberna dimisit. Hic rerum status in Hispania. Serò in Italia pugnatum hoc anno bellum est, ægre Germanis commoda hiberna deserentibus, & nihil moventibus Gallis, quippe quorum plures ad mare distraxerat hostium classis. Illi tandem cum reliquis Fœderatis sub Junii exitum coierunt. Fraxineti de re gerenda inter supremos duces deliberatum, ac facilè in eo conventum, ut Casale Montisferrati caput jamdiu obsessum oppugnaretur; hinc enim detrudi Gallos, omnium intererat. Quinque & viginti peditum, equitum quatuor millibus, majoribus tormentis septuaginta, pyrolmis duodecim Allobrogum Dux, Princeps Eugenius, Leganesius Mediolani prætor illustre facinus aggrediuntur. Vallare se se adversùs externos impetus (nam Catinatio Legato, qui prope Pinarolium stativa posuerat, non suppetebant ad irruendum vires) supervacaneum rati, bifariam illico vineas ad mœnia ducere instituunt, Hispani, qua parte conjungitur oppidum novæ arci, ceteri in hujus campestre latus. Quamquam non ita multo post id unum urgere visum. Stante siquidem arce, frustra in potestatem redigi urbem; hanc, ea domita, statim perituram. Pri-

Galli deletis Palami munitionibus in hiberna ducuntur.

Quid hoc anno in Italia gestum.

Fœderati Casalem invadunt, & quantis Copiis.

Oppugnatio describitur.

Primùm illata vis munitioni, quæ in adversa Padi ripa contra oppidum aperiebat auxiliis & commeatibus viam. Nudatam parumper mœnibus Fœderati semel atque iterum adoriuntur; sed cominus illinc, eminus ab urbe majoribus icti jaculis, incepto absistunt non sine quadringentum cæde. Ne veró ad eam rursus tuendam quidpiam ultra impenderet virium Crenantii Marchio, qui rebus illic moderabatur, dissipatis operibus, quicquid inerat militum intra Urbis mœnia contraxit. Vix siquidem tria millia præsidiariorum secum aderant. Tota deinde novam in arcem vertitur belli moles. Vineæ intra decem dies ad fossam adductæ, atque altera e semilunaribus parmis, quæ propugnaculis interjacebant, ariete perculsa ruinam fecerat. Nec mora Fœderati scandunt rudera, pugnant, impellunt hostem, locó deturbant, figentesque ipsi pedem, recedentium vestigiis hærent; quamvis non diu post solum, quod insidebant, bis incenso nitrato pulvere apertoque hiatu & aliquot haustis contremuerit. Is finis decertandi fuit. Crenantius enim deditionis instituere sermonem haud amplius distulit. Jamdudum ab Rege acceperat, non persistendum in urbis tutela, quæ mox pace sequestra reddenda hostibus foret, ac modò tantum dispendii curarumque afferret; dum ta- 1695.

Casale Fœderatis redditur, discedentibus Gallis, & quibus conditionibus.

1695. tamen solo æquatis munitionibus, si non gravis, ne utilis quidem Fœderatis accederet. Hæc una e propositis a Crenantio conditionibus in disceptationem venit; Eugenio Principe, qui Cæsaris agebat partes, enixe obfirmante, oppidum Germanici Imperii fiduciarium nullo detrimento in ipsius Cæsaris tutelam potestatemque venire, opus esse. Id autem, cùm tacite molestum esset Allobrogi ac Leganesio; quòd ita Mediolanensi subalpinoque Imperio Germanica veluti compes impingeretur; in Gallorum voluntatem ambos adduxit; causatos, ni oblatis conditionibus rem conficerent, dubium fore durissimæ oppugnationis eventum. Quamobrem non ultra licuit Principi Eugenio in adversum tendere. Conventum igitur: ut Galli utriusque arcis, & oppidi mœnia; Fœderati fossam externaque munimenta solo æquarent; duo tantùm manerent ad Padum propugnacula, quibus navigatio, ut hactenus, vectigalis oppido servaretur. Mantuæ Duci nihil de pristino in eam Civitatem dominatu minueretur. Curules machinæ, quæ bis centum duodeviginti, bellici apparatus commeatusque in Fœderatorum potestatem venirent; octo muralia tormenta, duo pyrolini, amplissimi militares honores, vehicula Pinarolium usque discedentibus præsidiariis darentur. Hunc exitum

Mantuæ Duci restituitur.

Casa-

Casalis munitiones, quæ, provocando potentiorum desiderio, tantum diu Principi suo, Civibus, Italiæque negotium facesserant, habuere. Adeo nihil Reipublicæ periculosius Principe, cujus fortuna non æquet animum, majoraque viribus aggrediatur. Segniter æstatis reliquum autumnique tempus traductum, ac mature in hiberna discessum. Rhenani exercitus nullum hoc anno memoria dignum scribendi argumentum præbuere. Galli ad quinquaginta hominum millia, Lorgesio armorum imperium gerente, traducto Rheno tandiu miseram Palatinatus oram pabulando populandoque divexarunt, quoad Fœderatorum copiæ, quæ prope Hailbrunam veteribus in castris se continuerant, pari numero constitissent. Hæ tunc ausæ in apertum prodire, serum popularibus auxilium. Jam quoque ad Rhenum Galli recesserant, transmissoque amne ripam prætexebant, aditum prohibituri, quem fortè suis aperiendum Ludovicus Badensium Princeps, consularis moderator imperii, secum antea constituerat. At paullo post imminutus quinumdenum millium agmine, in Belgium ad augendas sociorum vires dimisso, proindeque impar urgendis hostibus, quicquid æstatis supererat, otiando consumpsit. Galli quoque, non minori agmine ad Villoregium suppetias misso,

1695.

Nihil hoc anno memorabile circa Rhenum utrique parti accidit.

trans

1695. trans flumen diu quiescentes, ne quid hostile meditari suspicionem darent, exeunte jam prope autumno Moguntiacam oram fœde populati, ad hyemem sub tectis agendam propinquas in urbes deducti sunt.

Finis Libri Undecimi.

Li-

Liber Duodecimus.

SEQUITUR illuſtris annus oborta repente, dum ingenti conatu inſtauratis utrinque viribus ea procul abeſſe videbatur, in Italia pace, factaque inde ſpe, mox ubique inter Chriſtianos Principes conventuram. Quod quid cauſæ habuerit, dicendo exequar, poſtquam Barbarici belli quæ ad id temporis pertinent, expediero. Bellicoſus Muſtaphi Regis animus, elatuſque, ut fit, ſuorum plauſu ad arma ſtrenue tractanda, ſi non metum, gravem profectò curam hoſtibus iniecerat, fore ut niſi celeriter compreſſus, priſtinam Avorum fortunam ſibi reconciliaret. Nam magna Imperia, quæ concuſſa corruiſſe accidat, vixdum ſe paullum erigunt, citò mole ſua rurſus conſiſtunt, eòque ferocius robur exerunt ſuum, quo ſe pudet concidiſſe. 1696.

Ita-

1696. *Cæsar magnis copiis exercitũ in Hungaria auget.* Itaque singuli præter Sarmatas, quos vetus incuria & consequuta, ut memorabitur, sui Regis mors, aliò distraxerat, contentis vehementiùs nervis ad arma tractanda se se adornaverant. Cæsar majori suorum militum parte ab Rheno abducta, nec adeo, ut superioribus annis, Italico bello intentus, se prope totum in Turcas verterat, augendisque viribus cum Octoviro Misniensi convenerat, ut ad octo millia suæ gentis, quæ in Pannonia hibernaverant, quatuor adderet millia, ipse iterum summo cum imperio signa duceret. Lubens conditionem acceperat Adolescens gloriæ cupidus; opportunam demerendo Cæsari alendæque ejus ope ostentatisque viribus jam tum sibi propositæ Sarmatici Regni spei. His aliisque socialibus auxilijs, queis omnibus ab Cæsare stipendium persolvebatur, suppletus in Hungaria exercitus quinquaginta Germanici nominis millia & aliquot Hungarorum legiones sub signis habuit; insigne robur & rarò hac mole Turcis objectum. Quod & maturiùs quàm superioribus annis, & priusquam illi ad Albam græcam convenissent, comparatum, ut aliquid auderent, faciebat animos. Quò se verterent, apud Cæsarem inter majores duces, dum Octovir adesset, deliberatum. *Quò illum vertat, deliberat.* De Alba ipsa oppugnanda sermonem habuit Ludovicus Badensium Princeps. Vires dixit sufficere, opportunitatem non

non deesse, iter vix tandem ingressis cum ipso Rege hostium copijs, & frustra superventuris circumvallatæ urbi, in quam penetrare, prohibente vallo, haudquaquam possent; rei verò utilitatem argumentis non indigere, cùm pateat, Alba capta Hungariam in tuto esse. Contra Heuslerius Quæstor Temesuarium anteferebat, commendatum faciliori exitu, & quia Transylvaniæ infestum finitimumque. His intercessit Comes Æneas Caprara Legatus, cui hoc quoque anno Cæsar, excusanti licet senectutem, primas moderandi apud Octovirum bellici consilij partes detulerat. Frustra enim, inquit, ignotis, ut se modò res habet, Turcarum viribus quidpiam decerni. Neminem quippe tantorum ducum, qui coram adsunt, latere: quantum quisque bello possit, non suis magis quàm hostium viribus metiendum esse; militaremque prudentiam præsenti occasione atque e re nata plerumque dirigi, rarò longiùs, ut civilem, prævidere. Itaque in campo, & cùm rerum compotes erimus, de suscipiendo facinore ineundum consilium censeo. Cæsari placuit sententia Viri, ætate atque usu docti, in eamque discessum est. Exercitus fere omnis adulto Vere circa Pesthum collectus, continuato deinde ad Segedunum itinere ac Tybiscum trasgressus, Conadium pervenit, ibique de re gerenda sententiæ iterum exquisitæ.

1696.

Variantibus majorum ducū sententiis.

De re apud exercitum statuendum censet.

1696. Heuslerius, ut antea, de Temesvario oppugnando sermonem intulit. Rem, dixit, tanto dignam exercitu atque Octoviro duce; nec difficilem, terreno tantùm vallo muniente urbem; arcem angustis propugnaculis. Vnum illi adesse robur a decem millium præsidio, si transfugis habenda fides. At reputandum se se potius, ut in angusto loco, quam succedentes mœnibus hostes, impediturum. Nec Mustaphum in tempore ad opem ferendam, longo adhuc itinere, præsto fore. Ceterum eo capto quantum Cæsari decus, quanta in posterum securitas. Quò enim primum se se inclinat victoria, ibi plerumque sedem statuit. Non hæc verior Comiti Capraræ visa sententia est. Quare dicere exorsus: cur contra sentiam, inquit, paucis expediam. Mustaphum e Regia digressum huc procedere, nobis compertum. Illud hactenus in obscuro: frequenti an mediocri exercitu comitatus. Ego verò ne id quidem caligine obvolui, sed ipsum adducere secum legiones numero ac robore validissimas pro certo habeo. Constat siquidem, Turcarum Reges in militiam sine ingenti apparatu ac prope incredibili armatorum multitudine nunquam profectos, nec tantam majestatem, nisi maximis vallatam copiis, ancipiti adhuc Marti tcommissam. Iis autem colligendis si quis nunc obstitisse putet aut inopiam ærarij

Vbi rursus varietatum sententiis est, quæ referuntur.

Suam Capraræ explicat.

rij, aut hominum infrequentiam, sive negata ad delectum nomina; nescit mehercule Othomanici Imperij amplitudinem, tyrannicos mores, metu ac religione obstrictos Regi omnium animos; aut si affirmet, via detentas longa ac salebrosa, priusquam Temesvarium in Cæsaris potestatem concedat, non affuturas; rursus ignorare ostendit, quid isthic sit præsidij, quid roboris; munitasque arces remorari sæpius oppugnantium spem, nonnunquã eludere. Quod igitur, si oppido nondum capto Thraces advenerint, nostrum erit consilium? Intra vallum contenti, vineas agere obfirmabimus? Verum circumsessis impedita circum stagnis fluvijsque regione, unde nobis suppetent commeatus? Egressi munitiones, acie congrediemur? scilicet ferro ac laboribus jam non parum consumpti adversus integros & frequentiores. His æqua lance perpensis nemo inficiabitur, e re magis fore, tuto metari castra loco, & hostium confringere potius consilia, quàm nostrum aliquod meditari. Tune igitur, erit fortasse qui me interroget, tanta extremo conatu conflata militum vi otiandum suades? Ubi armorum decus, quo plurimúm gaudet miles ac se se ad audendum exacuit? Quò recidet facta eximio apparatu victoriæ spes? Satius profectò illam non excitasse foret, quàm decepisse. Labascit enim ac se demittit, illusus 1696.

1696. animus quo nihil in bello periculosius; ſtat ac viget proſperitate; nullo ſtudio curaque impulſus, hæret anceps. Ergo Cæſar ſuas ad Rhenum & in Italia vires extenuavit; ſocii Principes ſuas utrobique ad ejus ſupplendam vicem non levi incommodo auxere copias, ut otio æſtatem in Hungaria traduceremus? Et hujus non pudebit inertiæ? & poterimus redarguentium clamores, adverſam famam ſuſtinere? Id ſciſcitanti non per ambagem reſponſum referam. Hoc rerum ſtatu non ego quidem hoſtem ad pugnam laceſſendum arbitror. Si provocet, nobiſque loco, arte, conſilio minor, vincendi occaſionem præbeat, periclitandas vires non abnuo. At ſi æquo Marte certandum; nullus affirmare vereor, non bene componi unius oppidi lucrum, ſi belli nobis arrideat fortuna, cum totius Hungariæ, propter nondum inſtauratas urbes nec prorſus quietos pacatoſque Cives, jacturæ metu. Ceterùm nemo ſibi ſuadeat, parum profectum iri, & non maximæ loco victoriæ fore: ſalvis rebus & incolumi exercitu Muſtaphum, ne quid agat, detinuiſſe. Cùm enim milites nimis antea conſternatos impulerit ad belli diutius incommoda toleranda, oblata ſpe revocandæ ſuis auſpiciis Avorum proſperitatis; hæc ſi fallat, cuncta corruent, ipſiſque major, ut fit, redibit ex irrita ſpe ſocordia & pavor. Scio hæc perinde, ut eſt homi-

mi-

minum de me sententia, recipienda esse, qui timidus pro cauto, cunctator pro rem non temere aggrediente perhibeor. Verùm expertus, audaciora consilia plus habere splendoris, remissiora utilitatis, hæc prætuli, ex istisque rempublicam gessi; hujus autem ita non semel a me gestæ spero nunquam Cæsarem pœnituisse. Ubi Caprara tacuit, unus aut alter in ejus sententiam discessit. Reliqui Heuslero assensi; cùm præsertim Octovir ex juvenili ardore, cui nihil gloriosum nisi quod audax, feriantem exercitum vultu ac gestu aversari videretur. Temesvario, cui vim inferrent, decreto, quaternis castris exercitus Conadio digressus illuc adducitur. Jacet oppidum palustri solo ad Temesum amnem, unde illi nomen, haud magnæ molis munimentis sæptum, sèd modò externam loricam novis subitariis operibus Turcæ firmaverant. Quod, constanti rumore transfugarumque voce renuntiatum, Octovirum impulit, ut rem ipse, & quid roboris additum foret oppido, præsens inspiceret. Quamobrem jussis quatuor millibus quingentis equitibus secum ire, prævertit gravem tardumque impedimentis exercitum, se seque in urbis conspectum dedit. Vix primæ se turmæ aperuerant, cùm quicquid inibi Turcarum erat equestris ordinis, in eas movit, consternavitque nondum toto agmine confirmatas. Octovir, qui situm munitio-

1696.

Sed repudiatur.

Statuitur, Temesuarium oppugnandum.

Refertur, quo ordine, & quantis viribus.

1696. nitionesque contemplaturus eò processerat, ad repentinum impetum discrimen adijt. Sed citò reliqui in aciem inducti, redintegrataque pugna, hostem impari prælìantem numero intra claustra murorum compulere, magna, dum recederet, multatum nece; non tamen inultum, pari edita muralibus tormentis subeuntium cæde. Octovir post subjectum oculis quicquid oppido munimenti erat, viam statim ad suos remeavit, lætus eo reperto non adeo, ut fama ferebat, ad expugnandum difficili nec facinus diu moraturo. Vix autem circumjacere vallum cœperat, cùm falsò monitus (adeo explorandi negligentia an difficultate Germanis plerumque ignotum erat, quid hostes agerent) Mustaphum Regem cum omni exercitu gradum accelerantem non procul abesse; nulla mora Conadium dimissis majoribus catapultis in ejus occursum ire pergit. Certior deinde factus plures illum adhuc distantem dies, nec de Transylvania cogitantem, trans Danubium iter habere, Temesvarium rediit, quò celeriter obsidionalem apparatum Conadio iterum traduci, & Comitem Rabutinum, qui in veteranii locum successerat, octo admovere jussit equitum legiones, unamque peditum ex ijs copiis delectas, quas in Valachiæ finibus continuerat, hostem, si illac irrueret, propulsurus; ac dudum prope Aratum oppidum ad Marisum

Falso rumore decepti Germani oppugnationem deserunt.

Mox redintegrant.

ſum omnem reduxerat, veritus ne iſthac ille in Tranſylvaniam, ut dictum eſt, viam circumflexo itinere ſibi panderet. Inſtaurata oppugnatione rurſus Miſnienſis Temeſvarium urgere aggreditur. Ariete ſcinditur compactum cæſpite & palis vallum. Flammam non ſine plurimo eventu ligneis ædibus ollæ pharetræque inferunt. Tardatur tamen crebris præſidiariorum eruptionibus ductus ad foſſam agger. Nihilo ſecius, Germanis eximio ardore ad exitum feſtinantibus, tertio decimo die prope ad marginem promotus ſpem dabat properæ deditionis, cùm ab exploratoribus obnuntiatur, Thracum exercitum & ipſum Regem, traducto ad Semlinum Danubio, Panzovam perveniſſe, unde brevis Temeſuarium via. Quod Miſnienſis ubi novit, conſilio repentè habito, majores duces ſententiam rogavit. Aliquandiu ſilentium fuit. Nam alios pudebat, rem ſuaſiſſe tanto nec ignoto obnoxiam diſcrimini. Dolebat alios, eam feliciter progreſſam, nunc iterum, dato jam plurimo ſanguinis pretio, deſerendam. Taciti, qui diſſenſerant, geſtiebant ſe melius hariolatos. Una deinde omnium audita vox: incœpto abſiſtendum, in quo ſine ingenti periculo perſeverari non poſſet; productiſque in apertum legionibus vetandos hoſtes, ne ad reficiendam auxilio urbem accedant; deinceps conſilium ex occaſione moderandum. Com-

1696.

Approperantibus Turcis obviam procedunt.

1696. Commodum accidisse, auctum exercitum Rabutini copiis, suppletumque quicquid Temesuariensis oppugnatio abstulerat. Dena quoque Germanorum millia, quæ Vido Starembergius apud Tybiscum oppidum retinebat, non leve incrementum, evocari posse. Modò autem satius videri, tanti momenti locum, cognominisque fluvii ripam non deseri. Quin & illa commeatibus intercipiendis, si ulterius hostes progrederentur, carpendoque ab tergo ipsorum agmini destinabantur. Octovir ex hac sententia Germanorum quadraginta amplius millia, ingentem Hungarorum manum obviam duxit Mustapho Regi. Is lustrato ad Albam græcam exercitu, compertoque, octoginta constare armatorum millibus; duo simul, ad hostem ancipiti distinendum cura, tentare statuit. Classem triremium decem, lemborum triginta, lintrium sex ac sexaginta instruxerat; eaque Germanicam, quæ idcirco intra Tybiscum se se abdiderat, navium numero ac robore longe superabat. Hanc ad ejusdem nominis oppidum aditum sibi ab inimicis navibus explicare jubet, atque ex opposita ripa milites traducere ad oppugnanda mœnia eò terra progressos. Insula e Danubio surgens, Tybisci confluentis adjacet ostio; quam Germani castello machinisque munierant, flumen illud, cui vellent, prohibituri. Ad hanc primùm Turcicæ naves

Turcarum naves Cæsarianam Classem invadunt, multoque damno afficiunt.

naves appellunt, factoque descensu classiarius 1696.
miles castellum corona cingit, nititur supervadere. At pari pulsus ferocia ad naves regreditur, mox novo auctus milite impetum pugnamque renovaturus. Id hostes veriti, abductis bombardis subversaque lorica, periculo se subduxerunt. Thraces aperto navibus aditu Tybiscum intrant. Parum progressi, stantem in anchoris obstruere navigantibus ulteriorem cursum comperiunt Cæsarianam classem, cujus quinque triremes in fronte statuerat Aschembergius prætor. Non enim plures in ordinem dirigi alveus per æstatem contractis aquis patiebatur. Pari fronte instructæ barbaricæ naves, ubi ad telorum conjectum justo spatio se se admoverunt, frequenter adeo sciteque jaculabantur ac se se inferebant, ut adversæ triremes fractis armamentis perforatoque ventre ferre impetum haudquaquam possent. Itaque nautæ classiariique in posteriores lembos transgressi vix earum unam remulco secum traxere; altera præda hostium mansit; tres igne, ne pariter abducerentur, absumptæ. Quicquid reliquum, sub proximi Tybisci oppidi propugnaculis, quò se contraxit, tutam stationem habuit. Plus mille armatorum invicem desiderati, præsertim pyrobalistis, ex utraque micantibus ripa, edita cæde. Inter navalem tumultum Barbari postremis lintribus amnem trans-

 mitte-

1696. mittere aggressi, Starembergium, qui rem suspicatus crebris stationibus periculo caverat, non fefellere. Primi dum in terram evadunt, loco ac vita pulsi ceteris abstulerunt paris obeundi discriminis animum atque audaciam. Interea Mustaphus promoto exercitu castra locaverat inter fluvios Temesim ab dextra, Bogherium ab sinistra; iisque ripam hyeme supergressis; stagnantibus aquis ab utroque latere claudebant vallum. Firmaverat frontem subitariis munitionibus & multo machinarum apparatu. Germani lento gradu progressi, & levia interdum cum antecursoribus conferentes prælia, duo non amplius ab hoste distabant passuum millia, quid ei consilii, quid munimenti esset, adhuc incerti, præmiserant que Sclikum Instructorem exercitus, ut e propinquo tumulo speculatus, certi quidpiam afferret. Vix eò cum sexentis equitibus pervenerat, prætorianorum Turcarum agmen turmatim effusis habenis irruere in se vidit; quocirca ne impar congrederetur, viam illico rediit, rerum ignarus, cùm explorandis tempus non suffecisset. Nihilo secius Misniensis de Consilii sententia ad provocandam, quomodocumque posset, committendamque pugnam se se accingebat. Illic enim diu durare, impedita pabulatione, haud potis erat; recedere autem per interseptam stagnis fluviisque regionem, periculosæ plenum aleæ

Turcæ a Tybisco oppido repelluntur.

Tuto Castra metantur loco.

aleæ videbatur. In posterum diem pugnam distulerat, cùm auspicatò certior constanti captivorum sermone, quos dudum exploratores adduxerant, redditur, loco Turcas inexuperabili, quem tentare desperatæ propemodum temeritatis foret, stativa posuisse. Igitur mutato consilio retro nonnihil cedere ad proximos colles ac tria passuum millia referre pedem, satius visum. Vel enim, ajebat, se Thraces inferent; & æquo pugna miscebitur campo. Vel sua non deserent castra; & liberum nobis erit, præoccupato nonnihil itinere ac solutiori cura ad Tybiscum regredi. Ex hac sententia signa instructis ordinibus sensim referunt. Nec mora abeuntium vestigiis insistere Turcæ, sed ita caute ut castra castris conferrent, magna utrinque obversa in hostem machinarum vi. Atrox inde telorum tempestas ingenti & mutua cæde utramque bidui spatio populata aciem est. Turcarum propinquitas Germanos degravabat, vetitos pabulatum ire; & metus erat ne, si diutius equi pari incommodo afficerentur, viribus deficerent, militesque angustiore jam annona, via, labore fessi animum demitterent; cui enervando nihil funesta opinione periculosius. Huc autem spectare Turcas haud amplius ignotum erat; ut hostem diu carptum fatigatumque collatis deinde signis facile contunderent percellerentque. Quamobrem

1696.

Eos aggredi Germani non audent, receduntque, & quo consilio.

Eos Turcæ insequuntur.

In discrimen adducunt ex commeatuum inopia.

1696. rem Germani, suo periculo admoniti, acie instructa in planitiem descendunt, æquo loco Thraces ad prælium illecturi. Cum isti vallo se continerent; Octovir, prius Bogherio amne sex pontibus, ne moram faceret, constrato, paulatim recedere constituerat. At monitus (VII. tunc erat Kal. Sept.) hostium legiones aliquot sub auroram ab dextro latere circumduci; novum rei gerendæ consilium cœpit. Ex ea parte sylva surgebat vepribus obsita, quam Turcæ concubia nocte taciti circumierant eo animo, ut se inter Germanos Temesuariumque locarent; oppido securitatem; hosti, si remearet, quidpiam ærumnarum allaturi. Rem Octovir cum majoribus ducibus e proximo colle speculatum ierat; non enim incertis indiciis, quid hostes agendum sibi proposuissent, expendi poterat. Ubi vident e sylva continuato cursu agmen effundi, aciem dilatari, castrisque metandis idoneum describi locum, cunctos incessit horror, atroci se discrimine; suum Thraces consilium si expedirent, involutum iri. Stantes in ipso tumulo capita conferunt, brevique sermone (res enim & occasio urgebat) decernunt, priusquam Turcæ vallo se communirent, præliandum esse. Satis, inquiunt, cessavimus. Arte vincere adhuc studuimus, & arte nos vincit hostis. Illusi, circumventi, fatigati septem dies instructis ordinibus

Germani se se explicare pugnando tentant.

nibus jam prope defetiscimur; vix nobis tempus cibo ac somno instaurandis viribus suppetit. Equos pabula, nos annona jam prope deficit. An expectandum ut ultima rerum desperatio ferarum more, quas periculum aut fames acuit, nos irrumpere, quomodocunque liceat, in hostem cogat? Verùm necessitas, anceps telum, aliquando virtuti robur addit, aufert aliquando. Modò, cùm adhuc integer tractandis armis vigor sufficit, tentanda est prælii fortuna, atque in memoriam Barbaris redigendum, se eos esse, qui tot jam annos adverso Marte; nos, qui secundo pugnavimus victoriæ compotes. Ab hujusmodi sermonibus ad suos regressi, curas partiuntur; militem, ut festinanter cibum capiat, hortantur. Mox exercitum, brevi gyro diductis cornibus, in hostem flectunt. Ager alicubi uliginosus, plerumque obductus arborum stirpibus tardavit adeo legionum gressus, atque ordines interrupit, ut non prius quarta post meridiem hora lævum cornu instructa steterit acie; reliquæ suum properabant tenere locum, jamque ab hostibus non procul aberant. Interea Turcæ, cùm tempus deesset ad moliendum vallum, vehiculis catena invicem illigatis ac triplici digestis ordine frontem obsepserant; intercluso sinistro latere paludis objectu; dextrum patebat. Nondum ubique Germani aciem direxerant

1696.

Pugnæ locus, series, exitus.

1696. xerant, cùm ab finiſtro cornu propius progreſſo pugnam ineunt. Sex peditum legiones, binis protectas equitum ſagittariorum, Haiſterus præfectus fabrûm ad plauſtrorum vallum primas admovet, cietque tumultum ingenti ſtrepitu. Pars diſſipare dolabris obicem; pars pyrobaliſtis oppoſitum intro agmen ſubmovere. Et quamquam reciprocantibus telis pari ferocia diſcerperentur, tamen apud milites conſcia ſui virtus, atque extimulante periculo vegetior animus valuit adeo, ut fracta ſepe ad manus venerint, Janizaroſque, qui ad vallum ſtabant, impulerint, magnaque cæde vix non prorſus in fugam conjecerint. Turcæ ubi primùm Germanos irruentes viderant, ab dextro cornu emiſerant alam equitum prætorianorum, qui tranſverſi perfoderent prægreſſum agmen. Dura ijs provincia ſuperanda erat; quippe continuò auxiliares ſagittarii in eam partem Cæſarianis ſuppetias venerant, ſufficiebatque reprimendo majori Thracum ſubeuntium numero; cùm hi ſe dilatare, adverſo lævo cornu haud procul inſtructo, prohiberentur. Huc igitur impreſſionem Turcæ facere, conſilium capiunt. Extemplo duodecim prætorianorum equitum millia, quotquot in eo cornu reliqui erant, effuſo curſu permittunt equos. Non illos armatus ante Germanorum pedites hiſtrix, non emiſſus e pyroſcorpionibus telorum turbo cohi-

cohibuit, quin perrumperent. Per ignem, per gladios, per objectam mortem sternunt sibi viam, obvios obtruncant, ceteros alienatis metu animis præcipites agunt. Jam plurimo hausto sanguine ad secundam aciem pervaserant, inferebantque signa; cùm Heidershemi Comes Heusslerus quæstor, adductis eò celeriter aliquot equitum legionibus, ferocientes compressit; qui tamen dum strenue antesignanis immixtus, pugnando hortandoque prælium urget, ictus lethali vulnere suis penitus ademit animos; se seque iterum ad Turcas inclinabat victoria, quamquã novis adductis equitum auxiliis Bernstetus Instructor exercitus eos retinere conaretur. Octovir strepitu ac tumultu admonitus eó se contulerat, miscebatque promissis minas, ut contentis viribus sisterent hostium impetum. Verùm nec imperium nec majestas valebat, dedissentque terga, nisi Capraria equestris legio, quæ iter omnium postrema sibi expedierat, densatis ordinibus tanta in hostem vi se concitasset, ut confestim illum vestigio moverit; mox intra claustra, unde se longius effuderat, compulerit. Hoc prospero eventu ceteris, ut fit, redierat animus, se seque ad iterandam pugnam promoverant, feliciter ominati, suorum victoriam jam tum ab inita pugna inchoatam, si paullum anniterentur, absolvi posse. Verùm Mars ibi quoque vicem 1696.

verte-

1696. verterat. Janizaris e plaustrorum muniménto propulsis ac vix non in fugam conjectis Mustaphus Rex cum trium equitum millium selecta manu auxiliatum, aut mortem illaturus venerat. Mandaverat enim quotquot referendo gradu non abstinerent, occidi. Quo perciti metu, pudore simul, dum ipsum Regem discrimini se se offerentem vident, signa sistunt; utque noxam eluerent, eò ferociùs instaurant pugnam, quò trepidantius deseruerant. Nec magni contentio laboris fuit. Sex illæ Germanorum legiones, commotam Janizarorum aciem insequutæ, ab tergo primùm, mox vel ab fronte concussæ, jam pedem extra vallum retulerant, junctæque suorum, quod supervenerat, agmini, æquato certamine dubioque rursus exitu præliabantur. Nunc novo pressæ impetu sensim cedebant; alibi quoque, incerto exitu debilitatis animis, prælium deferbuerat. Nox demum pugnam prorsus diremit, quæ tres horas pugnata plus alterni metus, variante fortuna, quàm cladis attulit. Utraque pars, veluti parta victoria, sibi plausit; cæsaque aut vulnerata fuisse hostium ad octo millia, suorum dimidium, in vulgus edidit. Apud rerum prudentes opinio fuit, neutram narrantem, quid ipsa ærumnarum acceperit, errasse. Addidere Germanis luctum Heuslerus, Porzendusque prolegato paullo post suis vulneribus exa-

Nox pugnam diremit ambigua victoria.

exanimati. Turcæ propius Temesuarium eadem nocte retulere castra. Germani in suis morati, postridie Bogherium amnem superarunt, relictis vicenis tribus curulibus tormentis, quibus avehendis jumenta non suffecerunt. Stetere ibi unum diem, si hostis moveret, acie instructa. Ille non pedem stativis extulit, tenuitque propositum conficiendi inimicum exercitum lassitudine, impedita pabulatione, factaque rerum omnium inopia. Nec Germanos id latebat. Ire proinde vel infesto itinere, sed parato ad pugnam agmine, instituunt. In abeuntes irruit ab læva scytharum globus, si fortè carpendo postremos ordines moram faceret. Inani tamen conatu nec impunito. Ab dextra majus discrimen attulit Turcarum equitum prætorianorum ala, quæ congressa, tumultum discedentibus ab tergo injecit, habuitque spem, dum illi ad inopinatam impressionem turbantur, quidpiam sarcinarum abducere. Quod Octovir in tempore suspicatus, nòvis illuc adductis equitum auxiliis firmatoque latere, periculo obviam occurrit ac levi mutua cæde hostem repulit. Is non prius tamen ab insequendo abstinuit, quàm postridie sylvestrem ingressis oram Germanis in eam se induere, tutum non reputavit. Patuit autem, non parum cladis illaturum fuisse, si vestigiis hærendo tardasset progredientium iter, ac lacessendo

1696.

Turcæ ipsa nocte Temesuarium petunt.

Germani postridie ad Tybiscum amnem procedunt.

Quos Turcæ insequuntur, sed levi damno.

Quod gravius inferre potuissent.

1696. do, pugnam irritasset. Facilè siquidem concidisset æstu ac siti postridie fatigatos adeo, ut plures in via defecerint, nec prius a tot incommodis respiraverint, quàm sub noctem in Tybisci ripa castra metati sunt. Flumen trasgressi suppletique sex equestribus legionibus, quas idcirco eò traducere, Starembergio mandatum fuerat, stativa illic reficiendis viribus quidpiam temporis habuerunt. Octovir inde, relicto ad exercitum Caprara, qui summæ rei præesset, Viennam digreditur, seu ratus Mustaphum traducturum otio quidquid autumni reliquum erat; seu rerum pertæsus, quas diversis ducum opinionibus & aliquorum negligentia minus prospere gestas querebatur; nec Cæsari tacuit nomina; qui tamen ulcus, tangendo, non irritare, satius duxit. Mustaphus aucto Temesuarii præsidio, datisque Solymano prætori quatuor ac denis armatorum millibus, quibus superiori Hungariæ Transilvaniæque insidiaretur, cum reliqno exercitu, Danubio iterum ad Panzovam transmisso, rediit Albam græcam, in Sclavoniam intentus ac Tybiscum oppidum. Ita Germanis integratæ curæ, quin potius auctæ, quibus perfuncti se penitus arbitrabantur. Oborto enim tot locis discrimini simul occurrendum erat. Plus tamen res habuit solicitudinis quàm periculi. Jam tum Misniensis cùm ad Tybiscum recederet, Comitem Rabu-

Octovir Viennam redit, parum rebus gestis contentus, culpamque, cujus esset, Cæsari indicat.

Turcæ ultra progredi nequeunt, a Germanis impediti.

Rabutinum prolegato cum quatuor equitum legionibus & aliquo peditatu ad obſepiendum miſerat Mariſum amnem, unde illac in Tranſylvaniam confinemque Pannoniam iter. Ad eas copias par modo additum equeſtre robur omnem Solymano prætori quidpiam illic gerendi præcidit ſpem. Nec Tybiſcum oppidum Turcæ, quò in viam ſe dederant, tentare auſi, comperto, ſub ipſis mœnibus excubare Nehemum inſtructorem exercitus, cui Caprara ad ejus cuſtodiam tres peditum, binas equitum legiones commiſerat, in Sclavoniam diſcedens cum majori exercitus parte, haud inani perculſus metu, provinciam populationibus laceratum iri, munitaque oppida, ſed non ſatis præſidio ac bellico apparatu inſtructa, cogi facilè ad deditionem poſſe. Verùm Turcæ ad tricena millia traducto Savo anteverterant, Mitrovitzamque non ignobilem in ejus fluminis ripa munitionem biduo novem arietibus ac duobus pyrolmis verberatam, cùm bis centum Germanorum præſidium, Perſilii Centurionis præfecti nece deterritum, clam noctu aufugiſſet, vacuam ingreſſi diruerant. Illinc Brodum ire, eoque domito fluvium ſibi expedire, animus erat. Verùm accepto nuntio, Germanos accelerare, ipſorumque & provincialium jam prope adeſſe ingentes copias, direpta circum regione, rurſus amnem tranſvecti remearunt.

1696.

Ab altera parte Mitrovitzam occupant.

1696. *In hiberna distribuuntur.* Hic finis per ea loca bellandi fuit. Mustaphus, aucta sui apud Cives expectatione, Adrianopolim repetit; utrinque fessis legionibus, quamquam nondum exiret autumnus, ut hyematum irent, permissum. Per id fere tempus Comes Bathianus Croatiæ prætor Uranogradum, Tadoroum, Kladusam vi aut deditione in potestatem redegit, cincta munitionibus oppida; præsidiisque firmavit, abacta præda. Non diversa

Qui hoc anno Venetorum bellicus apparatus. hoc anno Venetos fortuna mansit. Duodecim amplius millia, præter auxiliares, in Peloponneso e Germania, Italia, Græcia contraxerant, classemque collegerant sex ac viginti bellicarum navium, quibus incendiariæ duæ conjungebantur, Hepteres sex, Quinqueremes cum Romanis ac Melitensibus quatuor supra triginta. In Dalmatia legionarios suppleverant Delphini prætoris monitu, qui Veris initio Senatui renuntiaverat, Turcicæ isthinc juventutis robur cum Solymano Epiri præside in Hungariam profectum, adeo suas in ea provincia vires extenuasse ut ad aliquod illicerent tentandum

Olcinium invadunt. facinus. Se proinde, si Patres annuerent & quidpiam darent auxilii, in animo habere, Olcinium invadere, infame piratis oppidum, nec ita validum ut desperata ab suis ope non facilè subigi in ditionem posset. Ita navigantibus liberum fore Adriaticum mare, redditaque commercio securitate magnum Reipublicæ

decus

decus, plus etiam utilitatis accessurum. Placuit Senatui Delphini dictum, dataque rei gerendæ facultas, ut e republica fideque sua esse duceret. Submissæ cohortes aliquot stipendio conductæ, quæ Venetiis in promptu erant, ac satis pecuniæ; jussusque Aloysius Priolus cum ijs, quibus ad sinus custodiam excubabat, navibus eò accurrere ac prætoris imperata facere. Is undique ad signa vocatis popularibus Neocastrum ad conveniendum indixit, alia caussatus, ne Olciniensibus, quid in ipsos machinaretur, suboleret. Non tamen improvisus advenit, tempestive præmonitis Epidauriensium celeri nuntio, quorum non intererat, Venetos Imperio accrescere, Turcasque ab se longius dimoveri. Adulta æstate secum adductis octo armatorum millibus illuc appulit. Ad oppidi dextrum latus descensum parabat; obviam effusis aliquot popularium cohortibus, circumducta repentè ad levam classe vix ullo impedimento milites in terram exposuit; nec breve inde ad muros iter quisquam interclusit. Cives enim, ut se impares acie viderant, nihil extra mœnia fundere virium, quò Patriam affirmatius tutarentur, apud se constituerant. Et sane fera gens, piraticæ assueta, se non impune lacessitum iri, nec levi negotio, quamquam oppidum priscæ solum artis munimento polleret, cogi ad deditionem posse gloriabatur. Extol-

1696.

Oppugnant, atque oppugnatio describitur.

1696. Extollitur prope Illiricum sinum prærupta undique rupes, pelagi fluctibus verberata. Hinc Olcinium occupat valido cinctum muro, sed qua solùm parte mari objicitur, duobus angustis propugnaculis interjectum. Rotundo alio protegitur adversum latus. Veneti admotis catapultis tria simul oppidi latera concutere adoriuntur. Non ea tamen accidebat murorum dissolutio, quæ, ut in præcipiti loco,, leni clivo sternere viam posset. Itaque ad dextram cuniculum inducunt, unde erumpente flamma, itineri emolliendo cumularentur rudera. Interea decem Turcarum millia, quos, collectitiam turbam, Solymani prætoris Epiri filius Omer ductabat, se se in conspectum dedere; sed immissis Illiriis cum aliqua legionariorum manu ad primum telorum conjectum in fugam se consternarunt. Quo successu aucti animis Veneti, ratique oppidanos cognita suorum fuga ferociam posuisse, aspero adhuc ascensu per mœnium ruinas tentare aditum statuunt. Ab una parte Dalmatarum agmen, ab altera legionariorum ad æmulationem acuendam, celeri prorumpunt gradu; sed male accepti, frustraque adversus loci iniquitatem emissaque frequenter jacula conati, viam repetunt. Hanc deinde incenso intra cuniculum sulphurato pulvere lenire aggressos res fefellit, immani substructione minus, quàm usus foret, dis-

disjecta. Nihilo secius periclitari fortunam, impressionemque facere Delphinus jusserat; cùm Terzium Scodræ prætorem, decem secum trahentem armatorum millia, quorum plures militiæ non inexpertos, e proximis descendere collibus suppetias laturum comperit. Quin & ille præcipiti festinatione adveniens adeo celeriter conseruit pugnam, ut vix Venetis ad primas instruendas cohortes tempus suffecerit. Et initio quidem tanta ferocia Turcæ se se inferebant, ut perrupturi viderentur. Restitere tamen Veneti, pudore obfirmati, ne incondito magna ex parte tumultuarioque agmini terga darent; novoque identidem suffulti milite retinebant hostem cæco actum furore ac stolide ferocientem. Non prius tamen vestigio motum in propinquas impulerunt sylvas, quàm transverso cuneo Baro Joannes Erbeius illorum aciem diremerit; subsequutaque Terzii prætoris mors, voce ac manu prælium acuentis, penitus in fugam disjecerit. Duodecim Signa in Venetorum potestatem venerunt. Ceterum promiscua ibi vulnera & cædes. Delphinus facilè ex ipso rerum successu mox Turcas redituros arbitratus, priusquam animos ac vires colligerent, victoriam urgendam statuit, ratusque, infelici auxiliarium conatu fractos Olcinienses haudquaquàm extremum discrimen, aut minus audacter obituros. Nec distulit, duplex, ut

1696.

Turcæ obsessis operâ ferunt.

Pugnant, ac repelluntur.

1696. ut antea, & pari ordine in aperta mœnium agmen immittere; ſimul diſpertita militum acie non uno in loco tumultum ciere, ancipitique diſtrahere oppidanos metu. Sed fruſtra tentatum iterum facinus. His enim ex ipſa deſperatione accreverant animi, & Venetis ex improſpero rerum ſucceſſu haud parum ceciderant. Quocirca torpore ipſo debilitati, lento ac trepidante gradu in clivum enitebantur: Congreſſi conſertique manum, levi negotio dejecti ſunt non hominum tantùm gladiis aſtantium, ubi aries mœnia depreſſerat, ſed & crebro ſaxorum ictu, jacientibus fœminis, quas nativæ timiditatis oblitas in pugnam adduxerat extremum Patriæ periculum. Quod ubi Delphino cognitum, receptui cani, nec ita multo poſt, Suis magis diffiſus quàm hoſtem veritus, inſtructis ordinibus repeti naves juſſit, interiorum ædium incendio, ſuburbanorum ruina haud parum ultus maritima ejus gentis latrocinia, quamquam ignobili ſuſceptæ expeditionis eventu. Hoc ſpatio temporis Chulmiæ Prætor cum duobus ſuæ gentis millibus, tumultuario delectu Signa ſequutis, Citclutum venerat, ſpe ejus periculo Venetos ab Olcinio diſtractum iri. Mœnibus ſuccedentem nullo militari apparatu ſprevit repulitque Georgius Barbarus arcis præfectus objectu machinarum; vim quoque, ni ſtatim remigraſſet, illatu-

Veneti ſæpius repreſſi pedem referunt.

Turcæ contra Citclutum ſigna movent, recedantque.

laturus. Quæ dum in Dalmatia geruntur, anceps hærebat Græcia, quò ibi per æstatem inclinatura foret armorum fortuna; tametsi Venetis potius blanditura videbatur, quippe quibus duodecim amplius merebant militum millia; & Miseroglius Turcarum dux longe viribus impar castris prope Thebas positis egredi non audebat; Liberii quoque Gerarcharii discessu debilitatus, cujus ductu auspicioque Turcæ septem jam annos Peloponnesum divexaverant, impleverantque hostem pavore; clade, ruinis agros; Græcis, apud quos, Leuctris natus, plurimùm pollebat, ad arma quotidie movendasque turbas concitatis. Is enim diu solicitatus, sub hyemis exitum ad Venetos defecerat, mutaveratque cum fortuna fidem, illectus præmio atque honoribus, pluraque de se pollicitus; quæ Veneti, ipso, invito licet, in Italiam traducto, ne ad ingenium redire posset, periclitari noluerunt. Alexander Molinus maris præfectus lustrato ad Porum insulam exercitu, ibi, in quam partem ferenda arma forent, consilium habuit. Duplex sententia dicebatur, sed neutra satis explicari poterat. Terra quidpiam aggredi, aliis arridebat. At vires quamquàm longe Turcicas superabant, non tamen arduo facinori pares credebantur; & quidpiam parvi momenti suscipere, nec utile nec splendidum

1696.

Bonis initiis Veneti hoc anno Peloponnesiacum bellum urgent.

Traducto prius in suas partes Liber io Græco, a quo prius plurima sibi damna.

Quid agendum deliberant.

1696. patebat fore. Miseroglium ad pugnam invitum elici haudquaquam posse; intra vallum invadere, periculo non abesse. Aliis placebat maritima expeditione hostes conterere, quod assequutis nihil non sibi terra marique sperandum esse. Verùm cùm illi bellicis navibus præpollerent, quarum vicenas Byzantias validissimas, sexdecim Afras Assanus cognomento semimortuus, dudum virtutis causa pelagi præfectura donatus, ductabat; cùmque raro interesse pugnæ quinqueremibus, turbatos fluctus non ferentibus, liceret; detinebat metus, ne dispari conditione Venetis congrediendum esset. Prioris sententiæ auctor Molinus Imperator, alterius Bartholomæus Contarenus majorum navium præfectus; suam quisque obstinatis sermonibus tutabatur, diuturna, ut fama ferebat, incensus æmulatione; & quòd cùm ille præcipuam laudem terrestris expeditionis, hic maritimæ, si bene cœptis succederet, habiturus esset; neuter dari æmulo occasionem gloriæ, sibi eripi vellet. Ergo divisa classe, bellicæ naves Ægæum circumire jussæ; in Saronicum sinum, quæ remis agebantur, proras dirigere, ibique milites, Thebas ad hostem ituros, exponere. Nec diu fuit, quin male captum consilium eventus ostenderit. Molinus ad Atticum litus nondum accesserat, cùm Contareni literis certior

fit

sit, Thraciam classem ad Caphareum promontorium appulsam Venetis navibus imminere, Gaureleonem, quem vocant, Andriæ portum ingressis, ne impares congrederentur. Ille audito suorum discrimine, confestim rostratas eò vertit. Interea, ferente Aquilone, Andriam Assanus prætergressus ad Juram insulam, medius inter utramque Venetorum classem, ne coirent, mare prætexebat, barbarico fastu machinis omnibus Contareni naves, dum portus ostium præterlaberetur, jaculatus. Molinus non ita multo post ad Ceam insulam venerat, ubi comperto, sibi ad suos interclusum iter, collegit vela, quousque immobili reddita (nam conticuerat ventus) Turcarum classe, suam ex obliquo ad Tenon insulam remis impulit; unde brevis & expedita navigatio ad Contarenum fuit, ejusque bellicas naves remulco in hostes adduxit, qui medio mari, fluentibus velis, auram expectabant. Hos apud se statuerat, a fronte rostratis bellicisque percutere, a tergo Hepteribus, quas ideo circumduci jusserat. Certa pernicies Turcis adesse visa. Sed eos periculo exemit res a Venetis imperite aut incuriose gesta. Tres Hepteres eò processerant, unde non minus hostium puppes quàm suorum in opposita parte proras concisuræ forent. Quocirca Molinus ab Contareno periculi admonitus, illas

1696.

Pugna navalis initur, ac describitur.

Varii ejus casus.

Male a Venetis digesta.

1696. illas iterum ad se ut redirent, signum dedit, uno agmine in Barbaros irrupturus. Dum illæ tumultuariò moliuntur, & cursum reliqua interea classis negligenter moderatur, Hepteres cum aliquot longarum bellicarumque navium inordinatæ longiùs processerant, miscuerantque pugnam, qua commissa, quicquid erat reliquum, stetit remissa fune, priusquam ad justum jaculandi spatium produceretur, frustra illinc in hostes contortis jaculis; qui quinque ac viginti biremibus æqua fronte digesti, ac prius admoti circumflexique, sua ferociter ingeminabant. Tres verberatio duravit horas, eaque plus cecidisse Turcarum, quàm Venetorum, in vulgus editum. Sub occasum Turcæ ad Caphareum promontorium, Veneti ad Andriæ litus se retulere; steteruntque in anchoris, quoad perendie ventus increbruit. Eo ferente per Cycladum anfractus plures dies casu an arte unus est alterum ludificatus, donec Assanus repente irruens in proximam Tenon insulam, repulsusque a septingentis popularibus, quos in hujusmodi periculum prætor Bartholomæus Maurus centuriaverat, intra Sexti Abydique fretum Byzantiis contractis navibus, piraticas in Africæ portus sub autumni finem dimisit. Venetæ Peloponnesum repetiere. Senatus certior factus a Molino Contarenoque, altero in

alte-

alterum culpam referente, rei parum feliciter gestæ, doluit magis in classe dissolutam veterem majorum suorum disciplinam, quàm quòd contractum ingenti studio tantum armorum robur ad irritum cecidisset. Jam enim vel moderatus animo suo, vel arbitratus potentissimum hostem novo non amplius vulnere exasperandum, constituerat, satis sibi esse tueri amplificati imperii fines, non dilatare. At verò Magistratuum in administranda republica, ducum in gerendo bello dissensionem aut negligentiam nunquam sapientissimus ille hominum Cœtus pacate ferendam censuit. Quocirca more institutoque Majorum Petro primùm Garzonio, deinde Joanni Zeno negotium dedit, ut in Græciam profectus cognosceret, qui status ibi rerum, quæ militaris navalisque rei gerendæ ratio, cujus delicto inversa, quo remedio instauranda foret. Utrique invidiosum munus recusanti nemo substitutus, & res postmodum silentio compressa, vel quia sub belli finem supervacanea medicina videretur, vel quòd in libera Civitate, ubi plures Magistratus deliquerint, miseratione an difficultate, futuri potius providentia, quàm præteriti pœna exigitur.

1696.

Re infeliciter gesta Senatus dolet.

Quid idcirco decreverit.

Neglecto tamen decreto, & quare.

Finis Libri Duodecimi.

Liber Decimustertius.

1696. ASSANUS Byzantium advectus, eò majori plausu excipitur, quò civibus capta dudum a Moschis Tanais, apertusque ipsorum navigationi pontus Euxinus acerba fuerant. Petro, ut isthuc sermonem vertam, Russiæ magno Duci haud unquam exciderat animo infelix in eo tantæ opportunitatis oppido superando positum ab se superiori anno militiæ tyrocinium; addebatque avidissimo gloriæ Principi stimulos non modò irritum facinus, verùm & accepta, dum Moscuam rediret, ignominia, cùm ab Scythis in itinere divexatus ac pene obrutus (siquidem diviso in partes exercitu recedebat) in sylvam se abdere, & quos secum ducebat munire cæsarum objectu arborum, necesse habuit, quoad Czeremeti legati auctus agmine, tempestive illuc adducto,

Moschi Tanaim urbem invadunt.

ꝺo, ad ſeſe explicandum, hoſte depulſo, vires obtinuit. Res quoque ejus arbitrii magis evenerat morte Joannis majoris natu fratris, quocum auctoritatem partiebatur, morbo, dum inciperet annus, confecti; adempta Germano ſolicitudine, quæ a bicipiti imperio, dominatus natura ſeu vitio, nunquam abeſt. 1696.

Joannes magnus Dux Petri fratris collega moritur.

Itaque poſtquam ſolo eruperat recens equorum pabulum, ſexagenum millium exercitu magnoque machinarum apparatu ſecum adducto Tanaim pergit; dum ſimul ab altera Tauricæ Cherſoneſi parte Coſaccos ſociali fide obſtrictos Imperio ſuo in Scytas finitimos invadere jubet, ut proprio detenti periculo ad ſocios tutandos accurrere nequaquam poſſent; quin & in pontum Euxinum per Boriſtenem devehi, quotquot ſibi triremes Batavi illuc antea vocati, magnoque ſtipendio conducti, fabrefecerant; eoſque præſidio eſſe lintrium exili claſſi, quam prætexendo litori, ne quid illinc auxilii in oppidum pervaderet, tempeſtive collegerat. Duos etiam larga pecunia ad ſe attraxerat e Germania militares Architectos, quotque plures licuerat belli peritos. Expertus enim didicerat deeſſe ſuæ genti non animos, non vires, at diſciplinam; & parum illa prodeſſe, niſi arte regantur. Præſidium ad tria millia; bellicum apparatum, quantum ſatis, per hyemem Turcæ terreſtri

Quanto maritimo ac terreſtri apparatu facinus urget Petrus, qui ſolus imperare incipit.

1696. restri itinere suppleverant nullo impedimento. Quippe munitionem, quam Moschi superiori anno discedentes construxerant ad obsidendum auxiliis iter, paullo post facto cum Scythis impetu cœperant diruerantque, præsidiariis occidione occisis. Quod autem mari illuc inducere constituerant, vix non irrito eventu prope evanuit. Decem erant armatorum millia atque ingens commeatuum vis, quæ cuncta tredecim actuariis, quindecim triremibus, totidemque lembis excepta, vixdum per anni tempus pelagus navigantibus quiescere satis visus, ad firmandum diligentius oppidum traducebantur. Id Moschis non ignotum; quocirca suam triremium lintriumque classem, Cosacci ingentem lenunculorum cymbarumque copiam præverterant ad ostium Tanais adducere, aditum intercluturi. Ubi adventare viderant hostium naves, sublatis anchoris obviam processerant, deliberata pugna; in eamque magnus Dux Petrus bis millibus selectorum militum armaverat parva & plana carinis navigia, quæ vadoso mari, ut plerumque circa litus pontus Euxinus est, innarent aut siderent nulla noxa. Consilii sagacitatem exitus comprobavit. Inita enim inter majores naves pugna, vehemens ventus, hebetesque periculo nautæ, actuarias plures magnamque triremium partem in vada impe-

Frustra mari Turcæ opem obsessis afferre tentant.

Pugna navalis enarratur, Moschis fausta.

ge-

gerunt. Actutum circumfusæ Moschorum cymbis, ac supergradiente undique milite superatæ captæque sunt. Decem actuariæ ab ipsis abductæ; novem triremes, quippe quæ ictu illisæ, incendio absumptæ, una demersa; quinque fluminis fauces ingressæ, ad oppidi mœnia incolumes appulsæ; duodeviginti onerariæ obliquo vento fuga se subtraxerunt. Præda militibus præter militarem apparatum concessa; qua liberalitate alacrius intenderent ad belli munera. Oppugnatio deinde urgeri lætis auspiciis vehementius cœpta. Pari tamen fiducia præsidiarii crebrò erumpentes obnitebantur, accepto nuntio, mox terrestri expeditione sibi opem adventuram. Nec eos fefellit spes. Moschi non uno loco muros ariete confregerant, sed nondum ea ruina ut possent leni conscendentes clivo dare impetum; cùm Selymum Colchidis prætorem, Norandinumque Scytham ingens utriusque gentis agmen ducere, & jam in propinquo esse, rumor adest. Nihil id Petri Regis bellicosum fregit animum. Quin alacer oblata pugnandi occasione, hostibus in occursum ire ac prælium ciere Alexium Semenuitzlazainum legatum jubet. Parum progressus illos instructis ordinibus obviam habuit. Primis contortis jaculis, segnem pertæsi pugnam, strictis gladiis invicem concurrunt. Acerbum obstinatumque certamen ma-

1696.

Urbis oppugnatio describitur.

Moschi Tartaros auxiliatum progressos prælio superāt.

1696. magna utrinque cædes est consequuta. Mota denique Turcarum acie, Scytisque præsertim, fugacissima gente, pulsis fugatisque, stetit a Moschis victoria. Non tamen oppidanorum ferocia, ut ad deditionem inclinarent, hinc imminuta. Ergo Moschi suspenso cavata subtus humo propugnaculorum altero subrutoque nitrati vi pulveris, non amplius, quin obnitentes præsidiarios loco deijcerent, cunctandum rati, quadrato agmine ruinas conscendunt. Stabant ex adverso oppidani repellebantque omni missilium genere irruentium vim non sine mutua magna clade; conferti siquidem præliabantur. Cessere tandem pugnandi potius lassitudine, quàm victi animo, dato subeuntibus loco, ubi supra mœnium stragem pedem ac signa figerent. Se deinde respicientes, ad mille bis centum redactos, abeundi conditiones petunt, accipiuntque honestissimas. Ut armati discederent, & nulla civibus iniuria fieret, facile impetratum. In urbe duæ supra nonaginta murales machinæ repertæ, armorum & commeatuum nondum inopia. Paucos ibi Petrus moratus dies, jussisque integrari mœnibus, ac novis firmari munimentis, Lucticum oppidum ad Tanaim amnem, quem vocant parvum, copias ducit, illudque non ita multo post in potestate habuit, deditione civibus, cum vi nequirent, sibi consulentibus,

Urbe potiuntur, & quibus conditionibus.

Lucticum oppidū capiunt.

bus; territis quoque, ut fit, arridente ubique hosti belli fortuna. Nam & per eos prope dies Cosacci Moschis obnoxii, quorum quidpiam secum conjunxerant, trans Boristhenem Scythas, qui iis, Axacem oppugnatum euntibus, viam obstruxerant, ingenti plaga contuderant; quamquam, seu magna & ipsi multati cæde, seu arduum, instante præsertim per ea loca jam hyeme, facinus aversati, iter redierint. Magnus quoque Dux, tametsi victoria daret animum, nihil ultra tentandum censuit; sed fessis multùmque ferro & labore consumptis legionibus in hiberna maturius distributis, Moscuam se restituit, obviam sibi ad celebrandum reditum universa pene civitate effusa. Urbem triumphali pompa ingressus Lefortium inter ac Semenuitzlazainum medius incessit, ostentans populo, quorum virtuti acceptum referret partum bellicæ gloriæ decus; gratissimo documento, quòd suo contentus, alieno augescere splendore nollet. Ipse lætus hac tanta civium benevolentia, gaudensque eximia, quæ præcesserat, sui fama, majora ab ipsis in posterum speranda admonuit, ubi tandem ex fœdere quidpiam Sarmatæ adversus communem hostem aggressuri forent. Nam hoc anno penitus elanguerant, inveterato apud ipsos non minus armorum tædio ac negligentia, quàm in proxima creandi Regis comitia

1696.

Cosacci Scythas ingenti strage fundunt

Magnus Moschorum dux in Regiam regreditur triumphantis specie.

 tia

1696. tia distractis animis. XVII. Kal. Quintil. repentina mors abstulerat Joannem Regem, postquam aqua intercute quidpiam temporis laborasset, annum secundum agens supra septuagesimum; Principem sane immortalitati commendandum, gratamque meritum posteritatis memoriam. Patrem habuit Jacobum Sobieschum Cracoviæ præfectum ipse inter ejus filios natu minor. Pueritiam paterni Avi exemplo non parum literis, quod rarum in Sarmatis; adolescentiam bello exercuerat, quò indole & corporis robore ferebatur. Virilem ætatem supremis Magistratibus ornatam duxerat, donatus primum prætoria in Polonos jurisdictione, anno post armorum præfectura, quæ magnum ipsi nominis incrementum, Reipublicæ utilitatem detulit. Nam signa summo cum imperio ducens, perduelles Cosaccos Bratislavia atque inferiori Podolia pulsos in ordinem coegit; Scytharum non semel populationes inito prælio illataque ingenti clade ultus est. Celeberrima Corzinensi pugna, quæ IV. Id. Nov. anno post mille sexcentos tertio ac septuagesimo commissa, biduumque, cùm noctu solùm intermisisset, pugnata fuit, Turcas peditum octo, equitum viginti millium cæde profligatos adeo fregit ut ad fœdus æquioribus, quàm antea cum Michaele Koributo Vjesnoviskio Rege, feriendum conditionibus ada-

Joannes Rex moritur.

Ac celebratur

adacti fuerint. Hac insigni victoria nobilitatus 1696.
tantoque auctus merito, ita in civium se protulit
benevolentiam, ut pridie, quàm illustre facinus
obtigit, e vivis erepto Michaele calatisque paucos
post menses Comitiis, nemo satis ejus virtuti
partoque decori, nisi delata regia dignitate,
factum putaverit. Cumulus ei denique accessit
ad militarem gloriam Viennensi expeditione,
quæ prompte amicissimeque suscepta, suis
auspiciis nec parum strenuitate ac belli artibus
explicata, tantò ei majus nomen dedit,
quantò feliciter gesta magnam Christianæ Reipublicæ
partem solicitudine liberavit, qua diu,
ne illud Germaniæ Italiæque propugnaculum
in Turcarum potestatem redigeretur, laboraverat.
Obscurari deinde bellicæ splendor laudis
in eo cœpit vel infelici in posterum armorum
eventu, vel improvido rei suscipiendæ
consilio. Quamquam illud excusationem habuit
ex inexsuperabili Comitiorum discordia,
perpetuaque in Regem potentiorum æmulatione;
qua ipsi, ne nimium valeat, plerumque
inciduntur agendi nervi. Istud culpa, ut fama
increbruit, nemo exolvit, quòd ex animi
magnitudine majora viribus aggrederetur, paria
despiceret. Ceterum nullis unquam machinis,
plures licèt admotæ fuerint, ab sacro
fœdere divelli potuit, strenue servata in Socios
fide, in Turcas odio. Ejus reliqua magis extra

1696. tra vitium, quàm splendidis virtutibus illustria. Nam quòd pecuniæ cupidus appetensque visus fuerit, id apud Sarmatas, ubi luctuoso publicæ felicitatis damno plurimùm possunt munera, non facilè culpandum; & plausus gloriæque inexplebilis amor, quo vehementissime exæstuavit, si honestis quæratur artibus, Principi decorus, Reipublicæ salutaris. Regis morte belli studium penitus quieverat, dataque Scythis impunè populandi occasio. Sarmatæ quoque milites diu stipendiis fraudati, hanc prætexuere causam licentiæ militari, qua diu per provincias grassati sunt. In hoc rerum tumultu ad cooptandum Regem, qui affectæ tot malis Reipublicæ moderaretur, conversæ omnium curæ. Conventu Legatorum habito, cui deliberanda regalium Comitiorum norma erat, decretum, ut Rex communi suffragio equestris Ordinis crearetur auguratis in agris prope Varsaviam, quò est dies ad conveniendum indicta, sequentis anni Idus Majæ. Datæ quoque leges, in quas novo Principi jurandum foret, plerumque graves, ni desuetudine solverentur. Quæ Barbaricum hoc anno bellum attulit, satis dicta. Nunc quid inter se dissidentes Christiani Principes armis & consilio gesserint, dicendo exequar, enitarque, ne, cùm tanta se offerat narrandi copia, succumbam oneri. Octo jam annos acerrimum pro-

Sarmatia Scytharum populationibus, suorumque militum licentia divexata.

Comitia habita pro decernendo eligendi Regis tempore, loco, & conditionibus.

productum bellum cunctos angebat; Fœderatos, quòd frustra & nimium nervos contendissent; Gallos, quòd conjuratæ in ipsorum perniciem omni propemodum Europæ suo tantùm Marte obnitendum erat. Quin & altius hærebat in mente Ludovico Regi, sibi non penitus hoc bello conterendas vires, sed aliquo instaurandas otio in omnem adeundæ Hispanicæ hæreditatis eventum, quam Delphino vel armis vendicare in animo constituerat; nec procul abesse occasio videbatur, sæpius ac vehementer tentata Caroli Regis valetudine. Ergo, ut ad pacem reconciliandam Fœderatos adigeret, urgere ferociùs hoc anno bellum parat, diligenti delectu suppletis legionibus, aucto quammaxime ubique exercitu, inopinatò minitabundus ostentansque: se proxima æstate, consilio non lassitudine, remissius arma tractasse. Simul Jacobum Regem hortatur, ut ad ciendos in Anglia Scotiaque tumultus, extremos explicare ingenii atque industriæ conatus vellet. Se ingentibus auxiliis confirmaturum semel commotos ad ipsum in pristinam Regni possessionem restituendum civium animos. Nec defiit, inimicum fœdus blandis artibus, qua parte posset, dissolvendum curare. Quocirca Franciscum Callieresum principio hyemis in Hollandiam privatum hominem ire jussit, callide in pacis sententiam

1696.

Christiani Principes bello fessi.

Diligenter tamen ad illud se instruunt, & quare.

Galli Batavos ad pacem separatim solicitant.

1696. tiam ſolicitaturum Magiſtratuum aliquem, populique ſtudium, ut ſuperioribus annis felici ſucceſſu evenerat. Præcipuam verò in Allobrogum Ducem vertit curam, ſagaciter odoratus, quid modò illi erga Socios animi eſſet, gnaruſque ægre concoquere, ab ſe propoſitas Mariæ Adelaidis filiæ ſuæ majoris natu cum Joſepho Romanorum Rege nuptias, Lepoldum Cæſarem abnuiſſe; alta ei pariter inſidere mente, ſe tot Fœderatorum armis vigentem jamque diu bellantem, nullum adhuc niſi ærumnarum tuliſſe fructum, nec magnam ſibi inter diverſa eorundem, quæ non ignorabat, conſilia variandæ fortunæ ſpem adeſſe. His probe Rex inſtructus, tentandum iterum Allobrogem duxit, & qua parte ad ictum patebat, ea peti, haud ignarus: moveri flectique præcipue hominum mentes temporum varietate inflexuque rerum; & conficiendis negotiis ingenii ſagacitatem plurimum quidem poſſe, at occaſionem dominari. In id occultam dare operam juſſit Renatum Teſſæi Comitem Pinarolii præfectum, & clanculum renuntiare Duci: ſi civium denique miſereſceret atque inauſpicati tæderet fœderis, faceret diſcordiæ finem, ſibi melius conſtabilita pace quàm producto bello conſulturus. Quid enim tanto rerum diſcrimine ſibi quæſitum velle? amiſſam Imperii partem recuperare.. Haudquaquam Re-

Item Allobrogum Ducem.

Nonnihil animo ab Cæſare abalienatum, & quam ob cauſam.

Quid ei Rex conditionum obtulerit.

Regem, quin sponte reddat, abnuere. Pinarolio potiri, unde in ipsa Regia vix non penitus obsideretur? Et istud, dejectis munitionibus habiturum. Britannica Batavaque pecunia, ne tot acceptis vulneribus mederetur, cohiberi? Non defore sibi regiam liberalitatem. An armis, utcumque eorum prosperitatem animo proponat, tantùm lucrari sibi possit, quantum pace sequestra detur? Idque ea benignitate, ut nihil vicissim Rex sibi postulet, nisi ut pro Pinaroliensi alpino tractu fauces Barcinonensis vallis, unde Italia Gallis aperitur, in potestate retineat; pro Pinarolio aliisque circumjacentibus castellis, ut Fenestellæ jugum novo insidere munimento, sibi liceat. Quod sua minus quàm Ducis interesse, parata ipsi ab Gallis ope, siquando quispiam e finitima Insubria insurgens turbo ejus Imperio minitaretur. Id unum quippe, ne insolenter se gerant, refrænare potentiorum animos, si videant promptas paratasque esse humilioribus alienas vires, quibus in adversum hi tendere tutò possint. Et opem quidem, quandocumque ipse velit, daturum Regem, non, ut quam modò habet, precariam, sed qua, prout sibi profuturam credat, utatur. Nec tamen, cum hæc tanti sint, postulare, ut Fœderatorum deserat amicitiam. Satis habiturum, si pactis per Italiam induciis atque 1696.

1696. exterorum militum discessu, redditaque Provinciæ tranquillitate otiosus maneat. Dummodo & illi otiari isthic velint, atque arma aliò ferre. Quod si abire abnutarent, obfirmarentque, illatas innocuis populis calamitates longius producere; tunc ipsi ad eas sublevandas sua cum regiis arma conjungenda fore; ac, sicut morbo furentibus vi remedia ingeruntur, sic illos sociatis signis ad meliorem mentem redigendos. Secum verò si reputet, molestam curationem, cùm exhibetur, dolere; inducta sanitate placere ac laudari; cogitaturum simul, in hoc se sociis non injuriam sed beneficium illaturum. Denique ut reconciliata amicitia firmissimo staret pignore, deliberatum Regi esse, ejus majorem natu filiam Mariam Adelaidem Ludovico Nepoti suo & Regni hæredi nuptui dare, nulloque Patris dispendio conficere puellæ dotem; addita hoc munere necessitudini gratia, nec parvo decore. Ad hæc accepta clandestinis literis, sibique a Carolo Victorio Germanopolis Marchione, quem arcanis consiliis adhibebat, delata, Sabaudi animus, veluti validissimo incussus ariete, commoveri ac nutare ancipiti jactatus cura. Unus, quin statim labasceret, obstitit pudor dissolvendi fœderis, unde auctus, ornatus, observatusque adhuc fuerat; quamquam non sibi fides mutanda foret, nisi cùm Ita-

Ad quas ille inclinat animum.

Italico abſtinere bello Fœderati nollent, repudiarentque inducias non ipſis graves, ceteris utiles. Fama fuit, eò tandem conſilii ab eo deventum, conventumque fuiſſe arcanis ſermonibus, quos & ipſe noctu pene ſolus urbe egreſſus in condicta non procul domo cum Teſſæo habuit, ut, cum miteſceret anni tempus, Galli ad Auguſtam Taurinorum ingenti exercitu accederent, oppugnationem vaſtitatemque minitantes, ni tam æquis conditionibus, quas ad occultandam firmatam antea voluntatem ſenſim educerent, Dux tandem acquieſceret. Sic enim, ſi vi adactus cedere videretur, neminem exprobraturum. Re decreta, Catinatius per hyemem Feneſtellæ jugo caſtellum, quatuor inſtructum propugnaculis, imponere. Et Allobrox, tamquam ignarus aut impos ad prohibendum, connivere. Quod ubi Leganeſius Mediolani prætor accepit, confeſtim ad illum pergit, in ſuſpicionem adductus, Pinarolii munere pacem redemiſſe Gallos; quippe quibus, niſi eo dimiſſo, novum in alpium deſcenſu inutile munimentum videretur. Orat, ut omnem Fœderatis eripiat mutatæ ſententiæ metum, neque res ſuas perditum eat. Nam dubium fœdus neque amicos illicere, neque inimicos terrere. Dux adversùs vim adhuc imparatus, & re nondum matura, propoſitum ſuum conſtanti ſer-

1696.

Qua arte ad negotium conficiendum adactus videri vult.

Galli Feneſtellæ collem muniunt.

Quibus connivere Allobrogem, Hiſpani ſuſpicantur.

1696. servandæ amicitiæ asseveratione abdidit, socios Principes adhortatus, ut promptam validamque submitterent opem. Exploratum siquidem sibi esse, Gallos frequentiori quàm hactenus exercitu in potestatem redigere conaturos quicquid subalpini Imperii adhuc supererat. Et quidem vixdum mitescente frigore solutisque nivibus viam paratis legionibus alpes dederunt, quina & tricena millia peditum, decem equitum cum magno oppugnandarum urbium apparatu circumpositam Augustæ Taurinorum planitiem circa Rivolium insedere, nemini infesta nec prædabunda. Insueta acerbissimi usque adhuc hostis lenitas Fœderatis suspicionem auxit. Non tamen, cùm frequentibus nuntiis ad obnitendum advocarentur, Allobrogi submittere accelerato cursu destitere decem Hispano merentium millia, sex Germanorum, tria Calvinianorum per Cottias valles collecta ære Britannico. Tantis hisce suffultus auxiliis additisque sexdecim suorum millibus (nam ubique ad se se, quantum posset, corroborandum præsidia attenuaverat) Dux principe firmata validissimis copiis urbe, ceterisque intra exteriores ejus munitiones, aut ex altera parte Montem Calerium usque Carinianumque locatis, nullum subiturus periculum videbatur; cùm præsertim editiora circa ipsam urbem loca subitariis ad longius arcendum hostem

Ille suspicionem ab ipsis pellere studet.

Galli in subalpinam regionem magnas Copias e composito inducunt.

Eò Fœderati cum ingentibus auxiliis accurrunt.

ftem operibus communiffet. Dum ita exercitus alter in alterum intentus, quo res evafura foret, circumfpicit, adfunt Germanopolis Marchioni a Catinatio literæ, blandæ, fi pacem Victorius Amadeus vellet componere; minaces & acerbæ, fi bellum profequi. Siquidem afferebant, Ludovicum Regem cuncta, quæ in ditionem redegiffet, ei reftiturum, retentis tantummodo, quoad ubique gentium arma filerent, Nicæa Villaque Franca, daturumque fuæ fidei fequeftres Pontificem maximum, Venetorumque Rempublicam, fi redire fecum in gratiam annueret, & Gallis per fubalpinas provincias Infubriam invadendi communi exercitu copiam faceret. Abnuenti, Auguftæ Taurinorum verberationem, circumjacentis regionis oppidorumque immenfam cladem perniciemqne non defuturam. Re cum majoribus Auxiliarium ducibus communicata, ferociter, veluti repudiato hoftis beneficio gratiam ab fociis initurus, Dux refpondit. Mox Catinatio urgente fimul minas blanditiafque (nam Regem, ut fenfim ex compofito progrederetur, Nicæam quoque Villamque Francam nunc remiffurum, quin & Pinarolium circumfidentefque arces æquatis folo munitionibus in ejus poteftatem traditurum renuntiaverat) moveri fe tam illuftribus conditionibus ac fuperari dixit. Quocirca Eugenio

1696.

Catinatius de componenda pace Allobrogem interrogat, dicitque conditiones, ut inter fe conftituerant.

Quæ repudiatur.

Cùm augerentur, Dux accipiendas decernit.

1696. *Eas Fœderatorum supremis apud se ducibus proponit.* *Cuncti respuendas hortantur, & quibus unusquisque argumentis.*

genio Principi, Leganesio, & Gallovidiæ Marchioni supremis sociorum præfectis iterum ad se vocatis suadere institit, ut, annuendo, oblatam sibi felicitatem jucundiorem redderent. Nemo non contradixit, causatus maximum hinc eventurum Fœderatis damnum. Leganesius Hispana gravitate illum a suscepto consilio deducere adortus, contendit, nunquam non insidum ab hoste munus; istud autem eò nunc tendere, ut is cui proponitur, ab sociis disjunctus, nec facilè deinde, si hanc iis inferret injuriam, reconciliandus, jugum iterum subeat Gallicæ servitutis, undè modò Fœderatorum armis se vindicaverit. Principem Eugenium cohibuit cognatio sanguinis, ne ultra verecundæ querimoniæ modum se efferret, in ejus memoriam revocata præcipue insigni ope, qua tot annos a Cæsare, rerum suarum vix non oblito, suffultus fuerat. Hanc enim animo suo nisi proponeret, potioremque duceret fallacibus Gallorum promissis, injucundum ingrati nomen subeundum illi esse. At Gallovidius ferociter, quòd Allobrogis amicitia minus momenti haberet ad res Britannicas, imperare sibi nequivit, quin ei ob oculos poneret, quam sibi, desertis sociis, notam inustum iret; ausus quoque, avitam, ut ajebat, variandæ ex occasione amicitiæ levitatem objicere. Ille tamen sui potens, non

metu

metu non iracundia exæstuans, tenuit propositum, facturumque dixit quadraginta dierum inducias, quæ postmodum quinis denis additis ad usque XVII. Kal. Oct. productæ sunt. Interea de componendo Italico bello agi posse. Cùm in hoc quoque Fœderatorum præfecti tergiversarentur, eas nihilo secius indixit, usus supremo imperio, quod apud ipsum erat. Nec mora, quo statu res in Italia forent, inconsortes belli Principes certiores fecit, renuntiavitque non eam sibi submissam opem, qua æquaret Gallorum vires. Immo verò superari exercitum suum plus decem millibus armatorum, ejusque securitatem circumposito vallo, si tamen repellendis hostibus satis fuerit, præstandam esse. Id saltem non esse obscurum, in principem Imperii sui urbem mox diram procellam, qua penitus conterenda sit, illatum iri, agros deinceps, & quæ reliqua sibi sint oppida, calamitate ac ruinis impleturam. Unum tot præcavendis malis remedium, pacem exhiberi non quidem ignobilem, sed iis conditionibus, quas nunquam prosperum bellum meliores pareret. Nec dari eo pretio, ut sua in socios, dummodo ex Italia discedant, vertat arma. Quidni igitur iis annuentibus non sibi liceat susceptas in Gallos ac tamdiu gestas ponere inimicitias, nec æqui bonique ducant rem transigi ipsis non incommodam, sibi

1696.

Sed frustra.

Quocirca inducias cū Gallis pacifcitur.

Fœderatos de ipsa re certiores facit, ac se excusat, & quibus rationibus.

1696. bi utilem ac fructuosam. Fateri, egregie se ab Sociis ornatum instructumque pecunia ac milite, tametsi hæc aliquando minora promissis nec satis in rem præsentem. Sed rependisse vicem haud tenui conflato exercitu, neglecta Imperii sui vastitate, tolerata tot arcium clade, tot civium cæde, adito non semel vitæ periculo. Non his autem se perterrefactum, ad renovandam cum Ludovico Rege amicitiam animum adijcere; sed cùm paribus modò ad resistendum subsidiis orbatus, extremam sibi perniciem impendere videat, natura comparatum esse, ut eam quoquomodo possit, avertere connitatur. Quod propositum si quis redargueret, ostenderet profectò, sibi solùm consultum velle, nec alienis indolere malis; & hoc simul exemplo ceteros admoneret, suæ magis quàm communi saluti prospiciendum esse. Ad privatorum verò, non ad Principis virtutem pertinere, suprema quoque sui ruina socialem tueri fidem. Vera erant, quæ dicebantur. At nimiùm Fœderatos angebat, finiendum in Italia bellum, Gallis præter modum grave ac sumptuosum; eaque urgebat cura, quòd illinc distractum, in se penitus irrupturum esset. Igitur, ut Ducem a suscepto proposito dimoverent, miscere preces querelis, illum onerare promissis; pro certo Hispanum affirmare, se deinceps majoribus au-

Fœderati novas offerunt conditiones, ut a fœdere non discedat.

auxiliis affuturum; spondere largiorem pecuniam Britannum; novas Cæsarem legiones; cunctos dicere pacto conventuros, ut ne prius Gallos urgere bello desinant, quàm ipsi & quicquid modò oppidorum ademptum fuerit, & Pinarolium in potestatem redeat. Quæ ut Victorius explorata magis haberet, addidit Cæsar, mox eadem fusius ab Comite Mansfeldo, quem idcirco sibi ad eum legasset, comperturum. Inter hæc ille instructis frequentiori suæ gentis milite validioribus oppidis, indeque prorsus abductis auxiliaribus, quos prope Mediolanensium fines jussit stativa ponere, ab eorundem vi, cùm exirent induciæ, sibi caverat. Certum ei quippe ac deliberatum erat, oblatis conditionibus pacisci cum Galliæ Rege, a quo per eos dies ex inita pridem gradatim procedendi ratione, renuntiatum fuerat, se se ad fortius obstringendam cum ipso necessitudinem destinasse Mariam Adelaidem ejus filiam nuptui dare Ludovico Burgundiæ Duci, simulque puellæ dotem conficere. Quin & decrevisse, iisdem in posterum honoribus, queis Regum legatos, Allobrogum Ducis Oratores in Gallia recipiendos esse. Is igitur non amplius cunctandum ratus, conditiones accepit, ad earumque firmitatem invicem dati obsides, Tessæi Comes, qui legati pompam adhibuit, & Bouzolæ Marchio

1696.

Qui tamen abnuit illectus etiam prapositis Filia cum Burgūdia Duce nuptiis.

Aliisque honoris significationibus.

1696. chio Tribunus militum ab Ludovico Rege; a Victorio Amadæo Tanæ Comes Augustæ Taurinorum præfectus, Aixique Marchio prætorianorum subcenturio. Sub id prope tempus ab Cæsare Mansfeldus venit. Statim convento Principe, dixit monentis potius in speciem, quàm quiritantis: non ita de ipso meritos Fœderatos, ut dum sit aliquis tandem colligendus initæ secum societatis fructus, ab iis desciscat. Periclitanti ejus fortunæ tot annos affuisse ingenti exercitu, ad ipsius usus ærarium propemodum effudisse, nihil sibi reliquum fecisse, quo socii atque amici Principis desiderium expleret. Dignum proinde insita ejus animo generositate videri, tot tantisque acceptis beneficiis, sin minus referre gratiam, saltem ut injuriam nollet. Quòd si honesti nomen, ubi salus agatur publica, pensi haudquaquam habendum putet; expendat æqua lance, quid bonum sibi atque utile futurum sit, nec falso præsentis lucri lenocinio se patiatur ab Gallis decipi. Nam si, quæ sibi magna liberalitatis venditatione proponuntur, pacato animo expendat; ea facile intelliget fuco illita; & quid apportent mali, subdola tegere boni specie. Pinarolium restituunt, quà in Galliam subalpinam descensus est; at simul duplicem isthuc viam per Fenestellæ tumulum ac Barcinonensem vallem sibi mu-

Pacem cum Gallis redintegrat.

Cæsar ad eum Legatum mittit oratum, ne ab sociis desciscat, & quibus argumentis.

niunt. Italiam liberant externo milite; sed ut illam impunè, cùm nemo prohibiturus aderit, arbitrio suo invadant. Illustres nectuntur nuptiæ; sed ea conditione, ut puella, quamquam viro nondum matura, in Galliam statim traducta paternæ sit obses voluntatis. Quòd si ad beneficos deserendos amicos percelli dicat impendentium ærumnarum metu; hunc penitus abstergat, complexus animo, non diu Gallos, aliò ad majora pericula revocatos, tantas in Italia copias retinere posse, & in promptu Fœderatis fore, ita suas augere ut æquent aut superent, qualecumque illi objiciant, armorum robur. Jam duas Cæsaris legiones Novum Comum pervenisse, tricenas alias centurias parum illinc distare, mox longe plures affuturas. Quin & ipsi Britannicam Batavamque pensionem, ne pacis quidem tempore desituram; modò etiam quousque bellum vigeat adauctum iri, Cæsarem in se recipere. Non ergo deliberandum videri, in quam partem inclinatione voluntatis propendendum sibi sit. Hinc trahi constantis animi gloria, præmio, spe; illinc metu, & quadam fallaci præsentis utilitatis illecebra. Horum quidnam majoris momenti censere debeat generosa præditus indole, ac famæ cultor Princeps, palam esse. Quæ cùm tanti sint roboris, augescere tamen cogitando: veteres amicitias, 1696.

 diu-

1696. diuturno probatas experimento atque assuetudine, firmiores esse; easque qui deserit, novas hujusmodi exemplo fluctuantes reddere ac debilitare. Hæc Mansfeldus, immoto Duce; qui rursus tentatus omnium simul supremorum præfectorum voce, spem ipsis variandi sententiam prorsus ademit, fatus: deliberatum sibi esse. Italiæ pace constituta & suæ & sociorum saluti consuluisse. Hanc si renuant, dolere se, renuntiandam sibi esse Fœderatorum societatem; non tamen vitio verti posse; si fessæ afflictæque suæ genti otium quærat, & publicum privato officium præponat. Multo sermone diu divexatus cùm in sententia maneret, Auxiliarium præfecti orandi finem hoc supremo dicto fecerunt. Fœderatos aut nusquam aut ubique pacem reconciliatam velle. Ad bellum igitur, inquit, vos comparate; comiterque muneribus donatos dimisit, jussitque quicquid haberent militum, extra subalpinæ regionis fines abducere. Illi viribus longe impares, cùm in aciem se committere non auderent, firmant præsidiis muniti ora oppida, atque ita, quoad novis subinde copiis se corroborassent, ad hyemis usque tempus (autumnus tunc incœperat) cavere sibi, consilium capiunt. Catinatius, vixdum exierant induciæ, exercitum ad Padum amnem duxit, quo prope Casalem traducto, castra

Dux diu tentatus in sententia manet; quod responsũ reddat.

Fœderatorum Copiæ e subalpina regione digressæ, intra munita oppida se condunt, & quo consilio.

ſtra ibi poſuit, Allobrogem præſtolaturus. Advenienti obviam proceſſit ſubmiſitque faſces, Dictatorem appellans. Ille ab exercitu iiſdem honoribus exceptus, quibus præter Regem nemo alius, ſpectaculum ſui præbuit cogitantibus, hac ipſa æſtate utrumque hoſtium exercitum ſummo cum imperio duxiſſe; deditque ea de re ſermonem. Inde Valentiam, decem diſtantem paſſuum millibus, progreſſus cum ſexaginta fere hominum millibus, quorum dena ipſe adduxerat, vallum oppido circumjecit. Jacet Valentia in colle juxta Padum, majoribus propugnaculis & promurali parma, interiore quoque aggere permunita. Sex millium præſidium aderat, armorumque gerebat imperium Franciſcus Colmenerus prolegato. Adhibita primùm ad repellendos a muris hoſtes majorum catapultarum vis ingens, quæ nihil attulit ſubeuntibus moræ; & felici ſucceſſu vineæ promovebantur, jamque ad ſemilunarium parmarum alteram pervenerant. Hæc tribus ſuſpenſa cuniculis, ut perfugæ retulerant, faciebat irrupturis metum, ne ſuccenſo nitrato pulvere, terræ hauſtu ac ruinis abſorberentur. Verùm cavit periculo declinavitque paratam peſtem Allobrogum Dux, inſtructo motoque ad irruendum agmine, juſſis tamen Centurionibus in foſſa pedem ſiſtere, ſi fortè in eo tumultu præſidiarii præoccupato eventu, ignem

1696.
Dux ſuas Legiones Gallis conjungit.

Valentiam invadit.

Urbis munitiones, & oppugnatio deſcribuntur.

1696. ignem caveis admoverent. Nec spes ad irritum cecidit. Ubi in fossam descendisse hostem vident, tempestivum rati, flammam canaliculis inferunt ac repente se referunt. Intonuit convulsum specus abstulitque solum nullo cunctantis ante aggerem hostis damno, qui simul ac humus resedit, transgressus, impunè tenuit locum, firmaque statione insedit; quamquam paullo post erumpentibus oppidanis diu illic incerto Marte pugnatum fuit. Proximo propugnaculo, quod ab annuntiata Deipara nomen habet, incussus inde aries: eoque percutiente fractum latus, & frons nudata mœnibus viam ad perrumpendum patefecerat; cùm renuntiaro pacis nomine, arma quieverunt. Jam tum ab dirempta cum Sabaudo societate supremi Fœderatorum duces noverant se minores, ut modò ibi erat exercitus, ad repellendam cumulatam Gallorum vim. Speraverant autem, tutandis munitis urbibus tandiu moram facturos, quoad hyems aut quidpiam recentis auxilii comprimeret eorundem impetum, daretque explicandis consiliis idoneum tempus. Curaverant quoque, negligentiam aliquam in eos inducere facta rerum componendarum spe, si quinos denos dies productis induciis spatium sibi per literas conveniendi Cæsaris foret, & Mansfeldo, ut in Allobrogum Aulam rediret, de conditionibus acturus,

Fœderati pacem cum Allobroge componunt.

rus, permitteretur. Utrumque negatum. Conventum verò, ut Germanopolis Marchio Ticinum iret audiretque, an finem a propositis conditionibus dissentiendi facerent. Jam tandem inducebant animum, pactis induciis per Italiam ab armis otium esse; Valentiæ celeri oppugnatione periclitati, sine maxima Mediolanensis oræ pernicie geri bellum non posse. Una reliqua erat controversia de remittendo trans alpes, præter consueta Hispanorum præsidia, externo milite; quem Galli prorsus abire, Cæsar manere, inexpugnabili adhuc sententia contendebant. Et hujus quidem nimis intererat, validas ibi ad retinendam provinciam consistere suorum copias. Verebatur enim brevì Carolum Hispaniæ Regem, cujus imbecilla & frequenter tentata morbo valetudo in discrimen venerat, mortem oppetiturum. Cæsari Socii assentiebantur, quamquam re vera Hispanus in vacua Insubria dominari cuperet; nec in alterutrum gravi momento Britanni Batavique inclinabant. His frigescentibus, Valentiaque vigesimum jam diem oppugnatâ & mox peritura, Princeps Eugenius Mansfeldusque e sua in hostium ire sententiam coacti sunt. Discedentibus Germanis curanda in viam explendisque Ducum animis nongentum scutatorum millium pecunia erat, quæ divisa in tres pensiones, præsentem unam trecentum quin-

1696.

De conditionibus non parum decertatū

In quas tandem convenerint

1696. quinquagenumque millium, ab iis Italiæ Principibus, quibus hactenus Germanorum hiberna incommodaverant, pendi nullo negotio decreta est. Magno Hetruriæ Duci centum quinquagenumque aureorum indicta summa; Genuensibus, Mantuano, Mutinensi quadragenum millium; sex ac triginta Parmensi; Montis Ferrati provinciæ quinum vicenum; decem Lucensium Reipublicæ; reliqua ceteris Germanici Imperii Fiduciariis. Cunctis graves querelas interponentibus quidpiam remissum, & sua sponte Innocentius Pontifex maximus quadragenis scutatorum millibus erogatis id etiam de summa detraxit, eò gratiore liberalitate, quò non quæsita. Abeuntibus Fœderatis partim per Rhætiam, partim per Venetorum Imperium ad alpes datum iter. Galli per idem tempus, deletis Pinarolii munitionibus, inter suos fines se retulere. Ubi paullum quievit imperatæ expressæque pecuniæ dolor, subiit Italos gaudium redemptæ tranquillitatis, qua nihil in terris jucundius; cuique modò præteritæ calamitatis memoria pretium addebat. Pacata Italia, dum bellum atrociùs alibi exarsurum videbatur, sedandæ ubique inter Christianos Principes discordiæ prolusum est. Ad istiusmodi eventum res maxime hoc anno in Britannia gestæ aditum aperuerunt. Dum Calliere.

Discedentibus Germanis ingens pecunia datur, & a quibus.

refus Batavos ad pacem ; quotquot in Anglia occultis animis pro legitimo Rege adhuc ftabant, ad arma folicitaverant literæ nuntiique illuc initio hyemis clam tranfmiffi . Fruftra Gallierefus connifus erat vel apud tenaciores Batavæ libertatis, cui a Vilhelmo timebant; quamquam vultu fufpicionem obtegerent, & Regi obnoxii videri vellent . At in Anglia Scotiaque conjuratio profpero fucceffu in omnes Ordines diffufa radices egerat . Plurimos commoverat caufæ bonitas, alios a Stuardis accepta beneficia ; percrebueratque apud omnes fermo, fovenda unius ambitione debilitari mercaturam, provincias pecunia, delecta ad bellum juventute domos exhauriri; qui fermo jam antea caute diffipatus in totius Regni Concilium penetraverat, diviferatque fententiis legatorum aliquos belli pertæfos ancipitefque : iftudne tanto civium incommodo producendum foret. Quocirca Vilhelmus Rex, occupato Namurco, mare illico tranfmiferat, Londinumque reverfus, dubium vacillantemque Conventum dimiferat, data fimul opera, ut qui ad novum celebrandum Duumviri crearentur, fibi certiore fide obftrictos haberet. Nec inani fucceffu. Haud minus tamen confpiraverat ad res novandas ciendafque turbas ingens multitudo, in apertam feditionem eruptura, vixdum Rex Jacobus Gallicaque auxilia

1696.

Galli fruftra apud Batavos de pace tranfigere conantur.

Ingens in Britannia contra Vilhelmum Regem conjuratio, unde commota.

1696. lia in Insulam descendissent. Hæc, ut in tanta rerum mole, incredibili silentio ab Ludovico Rege per hyemem comparata fuerant. Disperso enim in vulgus rumore, Zelandiæ maritimas urbes tentatum iri, Oceanum frequentioribus, quàm hactenus, piratis intersepiendum, atque alia causatus, in minoris Britanniæ Normandiæque portubus quadringentas vicenasque collegerat actuarias naves, tricenas bellicas; eoque sensim admoverat militum decem millia, ubi signum daretur, conscensura; tantumque armorum imposuerat, quantum duodevicenis præterea millibus instruendis satis foret. Ineunte Martio Caletum Dunquerquamque, unde in Angliam vela darent, omnibus coeundum erat, mandata classis præfectura Gabareto proprætore; militum, Harcurto prolegato. Postridie Kalendas Jacobus Rex Caletum pervenerat cum aliquo suæ gentis Procerum comitatu, qui ad arma clientelas cierent; ipse civium quamplurimos præsentia majestatis moveret, regeret auctoritate, spe ac promissis incenderet. Paullum diem classi ad conveniendum indictam præcesserat, ut ex Angliæ conspectu, & nulla mora transgressurus proponeret turbandi signum hæsitantibus, præproperum ne adhuc sibi, an tempestivum foret, ad signa se colligere atque in apertum prodire. Impendens periculum

Cui fovendæ tacite ab Ludovico Rege terra marique maximus belli apparatus instruitur.

In Angliam navigare Jacobus Rex detecta conjuratione, anceps atque inutile esse putat.

lum ac tantæ rei apparatum primus celeri myoparone Vilhelmo Regi nuntiavit Virtembergensium Dux, qui circa maritimas Flandriæ urbes cum pluribus legionibus hyemabat. Mox aliæ super alias a Bojoariæ Duce supervenere literæ, ut sibi caveret, admonentes. Miraculo erat, idque vulgus in omen vertebat, paratam grandi strepitu expeditionem, & quò tenderet, adeo Vilhelmum Regem latuisse, ut per eos ipsos dies legiones aliquot ex Anglia in Belgium transmisisset, nihil de se ac Regno solicitus. Res cognita cumulavit eam curam, qua ille hoc ipso die perculsus fuerat, certior a duobus conjuratorum factus, in ejus vitam quinquaginta amplius conspirasse viros; quos cùm dudum se fellisset destinatus ad patrandam necem indictus venationi dies, dum incustoditus per agros discurreret (nam forte fortuna domi se detinuerat) alterum modò constituisse, cùm ad rem sacram faciendam in publicum proditurus esset. Cohorruit Vilhelmus ad execrabile meditatum scelus, nec minus ad commotam in se vicina e Gallia dirissimam tempestatem; non tamen, tot licèt inopinatò pene obrutus curis, abiecit animum. Extemplo in Belgium nuntiatum mittit, ut quotquot ibi Calvinianæ sectæ exules Galli stipendia facerent, ac Brandeburgensium legiones in

1696.

Vilhelmus de Jacobi transmissione certior fit.

Simul de sui periculo, & quomodo.

Quid in tanto rerum discrimine egerit.

1696. in Angliam actutum transveherentur ; repudiatis Britannicis Scotisque illic pariter hibernantibus, quippe quibus in ea rerum caligine fidendum non reputabat. Dein mutata sententia hos tantùm ad se adduci jussit, ne si diffidere videretur, turbas augeret ; inductisque externis copiis suspicionem, simulque seditiosis capiendi arma obtentum daret. Fuere viginti armatorum millia cum Virtembergensi aliisque majoribus ducibus, quibus transvehendis Batavæ quoque naves celeriter instructæ adornatæque dederunt operam. Per idem tempus Russelus prætor contractis, quæ in promptu erant, bellicis navibus prætexere jussus Gallicum litus, hostili classi iter in Angliam intercepturus. Cum octo & quadragenis bellicis, duabus incendiariis paucos post dies solvit, se se Gallis ostentans obiiciensque metum, si transmittendi propositum retinerent. Hoc rerum statu Vilhelmus Rex Concilium ingressus, in hujusmodi sententiam loquutus dicitur. Quanto in discrimine superioribus hisce diebus ego & Respublica versati simus, neminem vestrum, Proceres legatique, latère arbitror. Ubi enim se aperit ingens nefas, quò magis taciti horrescunt homines, plus fama loquitur. Ego nequissimorum latronum insidiis circumventus, immortalis Dei beneficio e mor-

Vilhelmi regis in Concilio oratio.

e mortis faucibus ereptus sum . Respublica, 1696.
quam delere perpetui hujus Imperii hostes adnituntur , ne parato in eam ictu concideret, omni studio ac labore, quantum in me fuit, adhuc prospexi . Idque vobis gratum probatumque accidisse , hinc maxime argumentum capio , quòd non minus de vestro periculo quàm de mea salute solicitos vos esse video. Cuncta vobis debeo, Patres conscripti . Me privatum regnare jussistis ; delatum omnium consensu regium decus , ingenti jamdiu conatu sartum tectum servatis. Nunc autem tantis benevolentiæ indiciis , quorum nunquam obliviscar , accessit cumulus , dum incolumem gratulati , me vobis non injucundum , Reipublicæ non inutilem esse ostenditis . Optavi , nec unquam optare desinam , ut aliquam bene adeo meritis de me civibus referrem collati beneficii gratiam. An sim assequutus , vestrum judicium est. Unum affirmare non dubito, me, postquam omnium desiderio in Regni spem accersitus, eoque sententia atque auctoritate vestra potitus sum , nunquam cessasse , quin perpetuum studium , laborem , solertiam vestris tuendis legibus, religioni , juribus dederim. Quas non impendi solicitudines ; quod non obivi discrimen , ut ad ea retinenda foris vim, insidias domi devitarem ? Lætor, nul-

lum

1696. lum hactenus vulnus, nullum detrimentum accepisse. At modò atrox adeo insurrexit procella, ut reipublicæ communique saluti non parum timere cogar, nisi ad illam dissipandam fultus ope consilioque vestro conniti valeam. Manavit enim hoc malum latiùs, quàm credi possit. Non externis tantùm viribus concutimur; trajecit mare inita conjuratio, obscure serpit, multas in provincias jam penetravit. Non mihi antea ignotum erat, turbulentis ingeniis Rempublicam exagitari; sed ejus interitum potius quàm perniciem tanta, ut modò comperi, quæri civium conspiratione, profectò ignorabam. Quocirca prospicite animis, quæ magis huic malo remedia conveniant; incumbite ad Imperii salutem; amolimini turbas, quæ impendent, nisi providetis. Si me vivere ac moderandis rebus præesse, vestra interest; mei quoque curam gerite. Ceterum sinite, ut quodcumque sors ferat, mihi accidat. Non erit mors ingloria homini plura ad vestram incolumitatem assequuto; non immatura, tantum a vobis decus adepto; non præpropera, cùm conando, urgendo, enitendo, summum vobis pro tanta erga me benevolentia, quod habui, pretium persolverim. Nec, sceleratis licèt paricidarum gladiis, infelix moriar; si salvas, quas tandiu servavi, leges ve-

vestras, civesque meos moriens relinquam. 1696.
Hæc fatus, a cunctis assensum, ab aliquibus etiam lacrymas expressit. In utraque Conventus Aula decernitur, e republica nimium esse, Vilhelmum regnare. Eum proinde communi nomine obtestandum, ut diligenti custodia sibi caveat; in meditati sceleris auctores perturbatoresque publicæ tranquillitatis legibus inquirat, severe agat, edat exempla. Catholica imbutos Religione ultra decimum ab Londino lapidem exulare jubeat, ubique spoliet armis, equis, omnique re ad bellum idonea. Utque exarmandæ audaciæ nihil potentius, ac illam inutilem reddere, fructuque privare suo, fit plebiscitum, ut si fortè unquam accidat, violenta abripi morte Vilhelmum Regem, Concilium, quod per id temporis collectum fuerit, non dissolvatur, sed eodem maneat jure, quàm quod optimo; designatumque superioribus Comitiis regni hæredem in possessionem mittat, auctoritate sua foveat ac tueatur. Auctæ deinde Vilhelmo vires in externum bellum. Ad ejus quoque tutelam jurejurando se se obstrinxere urbium Conventus, Procerum quamplurimi, magna cujusque ordinis multitudo. Adeo ingens fortuna, si tumet, odium parit; si minores non negligit, Mortalium animos obnoxios, nedum benevolos, habet. Hæc ad avertendum periculum com-

Ad ejus, & Regni tutelā plura a Concilio decernuntur.

1696. comprimendasque domi turbas plurimùm valuere. Nihil verò magis, quàm quòd in Jacobum Regem venti & pelagus obstinate conjurarunt. Aliquot primùm ornandis moliendisque navibus, & excipiendis legionariis consumpti dies. Deinde adversus Aquilo cœpit furere atrocissimaque tempestate commovere fluctus, ut non iis se committere, non Brivate aliisque portubus discedere naves, ut condictum fuerat, Caletum aut Dunquerquam convenire, tutum foret. Vix procella desederat, cùm Russelus classem Continenti admovit ademitque hostibus impunè traijciendi spem; & plenilunii tempus abierat, quo, altius refluente in Angliam Oceano, litus faciliori appulsu navigantibus aperitur. Nondum tamen Jacobus Rex traijcere desperaverat, gnarus Castri Rinaldi Comitem cum septem & quadraginta bellicis navibus Telone in Normanniam discessisse, & mox affuturum; cujus adventu, validiorem sibi, quàm hostibus, classem fore. Expedito proinde pelago, Angliam aut Scotiam patefactum iri descensuris in eam partem, ubi celerius inflammari tumultus posset; qui semel concepto igne, celeriter vel in ancipites animos late serpit. At illum ea quoque spes decepit. Telone III. Id. Mart. mediterranei maris classis vela fecerat. Quamquam reflante vento anchoras jacere

Contra Jacobi regis expeditionem in Angliã venti tempestatesque se se obiiciunt.

cere consilium cœperat ad Stecadas insulas, plures ibi, cùm non posset in adversum tendere, morata dies. Postmodum iter ingressa, tumescente mari fluctibus obsequi diu coacta; priusquam fretum Gaditanum exiret, plures alios consumpsit; nec mitiorem nacta Oceanum, sæviente iterum tempestate, vix post Idus Junias, non parum laceris armamentis, tenuit Brivatis portum. Jacobus itaque tot adversis conflictatus, ratusque Britannicam pro se paratam conjurationem ipsa rei infelicitate consternatam evanuisse, ad S. Germani oppidum ineunte Majo se retulit. Interea in Anglia de conjuratis in Vilhelmum Regem, quorum quatuordecim in ejus potestatem venerant, quæstiones habitæ. Fassi crimen, capite pœnas luerunt. Nemo illorum fuit, qui mortem obiturus, scripto testimonium non dederit: non inconsulto solùm sed penitus ignaro Jacobo Rege, nefario hoc scelere se se obstrinxisse, in tantamque sua sponte ruisse temeritatem, indignatos, legitimum Regem pari scelere Imperio pulsum, atque exulantem. Quod ad comprimendas turbulentorum hominum voces, scelesté inclamitantium, id hujus consilio gestum, satis fuit. Apud ceteros Catholicæ Religionis disciplina, præclaraque Regis pietas nequissimo dicto fidem abrogaverat. De intestino tumultu pa-

1696.

Jacobus ad S. Germani Fanum redit.

In Anglia Conjuratorum plures capite damnati.

Testati prius, sese ignaro Iacobo Rege in Vilhelmū conjurasse.

1696. rum quæsitum. Aliqui solùm, ne res negligendo gliſceret, rerum novandarum suſpecti, in custodiam traditi, nec ita multo post dimiſſi. Cùm enim Vilhelmus non ignoraret, conjurationi nomen dediſſe Procerum potentiorumque plures, quos, magni negotii erat, judicio perſequi; ſatius viſum, ulcus non tangere, ne recrudeſceret; atque e republica magis eſſe, ingentia crimina non inquirere, quàm non ulciſci. Ergo firmatis validiori præſidio maritimis oppidis, remiſſaque in Belgium, unde advenerant, majori copiarum parte, ipſe biduo poſt Idus Majas eò trajecit, animo volutans atrocem terra marique ultionem adverſus Gallos, qui tantam opem turbaturis Angliam comparaverant. Spem tamen eventus eluſit. Primùm Ruſſelus medio Aprili eam, quam diximus, claſſem ante Caletum ſtatuit; præmiſſiſque ſex pyrolmophoris, urbem ollis incendiariis verberare, flammam centum quinquaginta onerariis navibus, quæ in portu erant, inferre aggeditur. Harum tres tantum dilaceratæ; reliquæ, ab ſigno errantibus globis, ictu immunes. Et oppidum, cùm nuſquam incendium oppidanorum induſtria ſe extulerit, exiguo damno multatum nec inultum, reciprocantibus in claſſem tela muralibus machinis e recenti præcipue propugnaculo, quod Galli, mare ingreſſi, longiùs

Claſſis Anglica Caletum ollis incendiariis percellit exiguo evento

giùs

gibus constituerant. Ne iterum postridie sæviret hostis, ventus prohibuit, agitatis ingenti tempestate fluctibus, abreptaque in altum classe. Hanc non ita multo post, se se infido adhuc mari subripientem, Angliæ portus excepere; ubi colligendis reliquiis suæ gentis ac Batavis navibus duos amplius menses morata, ineunte æstate cum ingenti apparatu rursus egressa, in Aquitanicum Oceanum proras direxit. Fuere septuaginta majores bellicæ naves, duodetriginta humiliores, sexdecim pyrolmophoræ, Berkleio Britannicarum, Alemondo Batavarum prætore. Consilium iis propositum erat, Brivati ceterisque minoris Britanniæ maritimis oppidis incendia & ruinas ferre; expositisque copiis circumjacentem regionem depopulari. Verùm ubi e propinquo munitum ubique litus conspexere, tenueruntque certis indiciis, nihil per eam oram impunitis hostium iniuriis idoneum esse, incertam subire aleam detrectarunt. Etenim Galli, quacumque parte litus peti faciliori descensu, aut unde longius propulsari jaculatrices naves possent, vallum quinque ac sexagenis locis erexerant armaverantque quadringentis undevicenis pyrolmis; frequentes quoque militum cohortes ita locaverant, ut singulæ in speculas dispertitæ, facilè in unum contractæ refrœnarent hostem, si congredi aut sævire per

1696.

Litus Gallicum opportuno loco munitionibus septum tentare alibi non audet.

1696. agros vellet. Legionariorum ad quatuor millia Brivatem proximumque tractum tutabantur Estræo legato duce, cui Normanniæ Britanniæque litora provincia obvenerat. Subduxerant præterea naves (nam plures tempestate concussæ fatiscebant, & modò hostili classe numero & viribus minores erant) divisisque catervatim classiariis firmaverant nobiliora oppida, mandatis imperiis, quoad præpotens mari hostis discrimen obijceret, Tourvillo prætori aliisque navium præfectis. Quæ ad continentis tutelam cùm comparata ab Gallis fuissent; mutata sententia Fœderati trifariam divisa classe, in proximas insulas vim obverterunt. Octo majores bellicæ, duodeviginti depressiores, decemque pyrolmophoræ circa Rheam, oppositam Sanctonum litori, contra Martinopolim anchoras jecerunt. Inde in oppidum arcemque ollis igniferis tribus prope millibus dira labes illata, factaque ingens ædium ruina. Duum quoque millium procella in proximi Uliarii insulæ vicum immissa, non dissimili incendio ac domorum strage, sex tantùm hominum cæde. Magna ex agris abacta boum præda. Per idem tempus sex pyrolmophoræ, plurimo fultæ navium præsidio, ad Calonesum Aquitaniæ adiacentem insulam progressæ, oppidum ignivomentibus globis minori clade verberarunt. Illinc pariter, e con-

Proximas litori Gallicas insulas labefactat.

tin-

tinguisque parvis insulis quidpiam abreptum pecudum. Utrumque agmen exitu æstatis in Angliam redux, pars depositis armamentis quievit, pars dispertita circumnavigavit adversus hostium bellicas naves, quæ parvis agminibus circumductæ magnas agebant prædas; gaudio Gallis, ira & dolore Britannis Batavisque elatis, quòd tantus tantoque sumptu confectus navalis apparatus prope ad irritum cecidisset. Quæ dum mari geruntur; quid Belgium, ubi utrique auctas supra modum vires extremo conatu contenturi videbantur, afferret novi, suspensas diu tenuit mortalium mentes. Merebant ibi Ludovico Regi equitum quadragena millia, peditum tria & quinquagena; quæ bifariam divisa, modò catervatim, modò conglobatim discurrebant, prout cavendi aut nocendi occasio se se offerebat. Pars (quadraginta fuere prope millia) ad Legiam amnem Villoregio imperatore, productum illinc ad oceanum aggerem tutatura, æstatem traduxit; eaque exadversum habuit Valdemontii Principem cum tribus ac triginta Fœderatorum millibus. Pars longe major, cui Beuflersi Dux legatus moderabatur, primùm intra Mosam Sabimque flumina se continuit, Vilhelmum Regem ac Bojoarium Octovirum, ne quid per ea loca tentare possent, prohibitum. Ubi verò Sabi traducto prope Athum sta-

1696.

Quo militum numero utrinque exercitus in Belgio.

1696. ſtatuere iſti ſigna; ille veſtigiis hærens; eorundem conſilia, non minori ſtudio quàm ſagacitate, ne aliquid aggrederentur, obſedit; quamquam vigerent longe majori numero, contractis illic armatorum nonaginta millibus, ac vicena inſuper Haſſiæ Caſſellenſis Landgravius ab Rheno abducta in ſtativis haberet prope Namurcum. Ita ne in Belgio quidem re ulla memorabili geſta tranſactum æſtatis tempus. Per autumnum e pabulandi opportunitate circumducti exercitus; in hiberna denique ſub hyemem dimiſſi. Vilhelmus, poſtquam vidit ſpem ſibi omnem ereptam rei e ſententia gerendæ, cunctaque Gallos, quæ ipſe aggredi conaretur, præcavere, principio autumni Loum, inde poſt paucos dies Hagam profectus, ubi de re communi cum Fœderatorum Ordinum Senatu colloquutus, in Angliam denique ſe retulit. Choeſelius legatus in Lorgeſii locum, adverſa valetudine ab armis dirempti, ſuffectus Gallicis ad Rhenum copiis moderabatur. Huic erant undecim peditum, duodecim equitum levis armaturæ, quatuor ſagittariorum millia. Adultis herbis, amne ad Philippoburgum traducto, nudatam præſidiis Palatinatus regionem pabulando victitandoque exhauſerat, tamdiu moratus, quoad in apertum collectis viribus Germani emerſerant. Dati ſiquidem ex formula

Nulla memorabili re geſta.

Irrito ſucceſſu exercitus ad Rhenum ſe ſe invicem eludũt

mula ab Regulis liberisque Civitatibus mili- 1696.
tes serò convenerant ; difficili celeritate, ubi non una est omnium voluntas, & multiplex imperium. Quin & aliqui, dum irent, gradum cohibuerant, fati : de futuris hibernis prius paciscendum; nec, nisi e sententia constitutis, viam progressi. Ad hæc accesserat vicenum millium, Hassiæ Landgravio duce, ut memoravimus, in Belgium discessus, a Vilbelmo Rege, facta prosperi successus ingenti spe, non facilè tamen exoratus. Quocirca Badensium Princeps vix tandem ineunte æstate tricena hominum millia in castra contraxerat, quibus, ne impar congrederetur, circa Stappacum oppidum satis munito loco se continuerat; eòque frustra accesserant Galli, vallum, si uspiam daret aditum, aggressuri. Postquam verò senescente æstate Hassius Belgio redux Creutzenacum pervenerat, Badensis e stativis prodiens, Rheno exploratis itineribus se se admoverat, socias excepturus legiones, Gallosque ad pugnam provocaturus. Choeselius, cui hæc in conspectu erant, elusit hostium consilium, tempestive in ulteriorem Rheni ripam transgressus, castraque metatus edito tutoque natura tumulo. Nam modò vicissim aderant sibi minores, quàm hosti, vires. Interea Badensis prope Moguntiam exercitum, ubi duplicem Rheno pontem im-

po-

1696. posuerat, citius trajecturus, cum Hassii Cassellensis copiis conjunxerat. Inde iter ingressi aciem ante hostium vallum consistunt, si fortè ad pugnam egrederentur. Cùm hi foras pedem non efferrent, eminus tantùm utrinque jaculis certatum est. Castrum erat ad lævam Gallorum, incolis vacuum, quod centum viginti pyrochitrophori insederant. Illud e propinquo verberare adorti Germani non parum mœnibus denudaverant, statuerantque corona invadere. At Galli nocte se referentes, liberum hosti deseruerant; isque locatis inibi machinarum pluribus, adeo infestum adversis castris locum reddidit, ut nonnihil ea longius dimovere Choeselius necesse habuerit. Quod cùm parum in rei summam prodesset, & Harcurtus prolegato sex peditum, equitum quinque millia, celeri cursu a Mosella digressus, opem suis per obliquum iter afferret, nec longe abesset; Badensis veritus, ne aucto Gallorum agmine, ipse Rheno intercluderetur non sine ingenti suorum periculo, amnem incolumi exercitu transgressus est, nequaquam ausis Gallis, illum validum ac militari sibi caventem arte prosequi aut insectari. Quæsitum deinde hibernorum otium matureque captum. Eadem æstate, qua hæc gesta sunt, Cataloniam Galli magnis incommodis, paucis licèt discurrentes legionibus, affe-

Cataloniam Galli magnis incōmodis afficiunt.

affecerunt, freti magis hostium discordia, quàm quòd viribus præpollerent. Soluta superiori anno Palami obsidio Matriti, in Aula præsertim, male audiebat. Culpam Castanagæ Marchio prætor in Russelum fœderatæ classis præfectum verterat, quòd suos ab oppugnandis consociato militum robore consilioque mœnibus derepente in naves subduxisset. At neminem clam erat, Hispanos Germanosque, quamquam Anglorum auxilio fraudatos, tantis ibi copiis viguisse ut ad repellendam Gallorum vim, qui suppetias laturi eò processerant, satis forent. Itaque Hassiæ Darmstadiensis Landgravius Germanorum ductor, Castanaga Hispanorum, amoliendo ab se invicem rei negligenter aut male gestæ dedecori, alter alterum incusabat; redarguens ille apud Regem deserendæ oppugnationis Castanagæ timidum consilium; hic vix non penitus obedientiam ab Landgravio sibi denegatam, inutilemque proinde redditam ad urgendum facinus ejus opem. Hinc inter illos voluntatum alienatio, auctaque vehementius, postquam Landgravio Cæsar imperaverat, ut sacramentum Regi diceret, faceretque Hispaniensis prætoris jussa. Quin & argumentis probaret, in Palamensi obsidione operam fidemque suam non defuisse. Silentio tamen res compressa, nec habita quæstio: cuium illic vi-

1696.

Obortæ ibi discordiæ inter Hispanos Angl . . & qua de causa.

1696. vitium intervenerit; quamquam uterque id compertum legitima sententia fieri, vehementer extimularet. Placuit enim Regi sanari vulnus datis ad eos literis, queis exploratum sibi esse renuntiavit, cuncta, quæ ad Palamum ambo fecerant, jusserant, integra fide ac militari scientia fecisse. Alteruter ab eo exercitu dimovendus erat, nociturus æmulatione, quæ, si e præterita discordia nata fuerit, res turbat agendas, timida potius alienæ gloriæ quàm suæ cupida. Nimiæ fuisset molis Landgravium revocare, ne Germani, eum sequuti, vacillarent. Quod proclivius erat, Castanagæ successor datur Franciscus Velascus, Gadium prætor. Is adulta solùm æstate ad exercitum venit, castra jam antea metatum sub Ostlerici mœnibus, tametsi ne illic quidem ærumna vacuum. Fortè aberat Castanaga, in vitæ discrimen, contracto ex animi ægritudine morbo, adductus. Landgravius præerat, equitatumque longe ab castris sex passuum millia locaverat herboso maxime irriguoque solo. Quod ubi Vindocinus comperit, ab Thice amne, ubi diversabatur, cum pyrochitrophoris, aliorumque peditum & magno equitum globo illuc citato gradu ire pergit. Non tamen improvisò advenit. Jam equites Hispani ab exploratoribus noverant Gallos adventare, pedemque ipsi ad vallum intra quod nihil

Quomodo oppressa.

Certamen aliquod initum inter Gallos Hispanosque, ubi & quo exitu.

nihil timerent, referebant. Parum ab eo distabant, cùm præmissus a Vindocino Chazeroni dynasta cum turmis aliquot eos assequitur; initoque prælio, priusquam intra vallum concluderentur, retinere studet. Vixdum lacessiti obvertunt frontem ac pugnam capessunt. Angustus Hispanis favebat locus, dextrumque ipsorum latus mille pedites contegebant, celeriter e castris submissi. Nihilo secius Galli concitata, quà poterant, equestri procella, & protinus in imminentem collem superinducta peditum legione, concussere jaculis hostem adeo, ut nisi castra in propinquo habuisset, majori clade signasset pugnæ locum. Ceterum eorum non ultra sexcentos ferro absumpti, centum capti, quos inter septem centuriones, ac Tyllii Comes, curator equestris disciplinæ. Gallorum necati quinque & quadraginta equites, occubuitque postridie ex acceptis vulneribus Longæ Vallis Comes prolegato. Provocata iterum pugna, cùm nemo e castris exiret, Vindocinus circumduxit exercitum, locavitque ad Turderam amnem, hosti commeatus a Barcinone intercepturus, spe, illum frumenti inopia ex inexuperabili loco castra moturum. Ubi novit ex ante convento, ceteraque provincia ipsi annonam suppetere, frumentatum primò legiones dimisit, dein deductis præsidiis delevit ignobiliores ar-

1696.

Galli dirutis plurium oppidorum mœnibus recedunt.

1696. ces Calellam, Pinedam, Maliacam, Blandam, Anglam, Felinopolim, ne suas præter modum distraheret vires, eæque munitiones per hyemem ab hostibus repetitæ, infestæ hibernantibus forent. Dum res ita se haberent, Vilhelmus Rex ad pacis constabiliendæ consilia convertit animum. Obversabantur illi ante oculos dubii Britannorum erga se animi, & ad omnem externi auxilii auram mobiles, turbarumque avidi ac prompti ad eas ciendas. Melius autem affectæ Reipublicæ adhiberi medicinam posse per pacis otium quàm per belli tumultum, quo strepente reliquæ vel tacent curæ, vel non satis audiuntur. Secum pariter sedulò volutabat conflatam in se dudum tanto vitæ discrimine conjurationem, cui deinceps declinandæ nihil utilius pacata republica futurum esset; per civile otium mitescente animorum ferocitate, aut, si persistat, facilius detecta, tutius vindicata. Præter hæc ferre amplius non poterat mercatorum querimonias expostulantium factam quotidie navium jacturam, impeditumque exercendis commerciis mare; & graves illi accidebant liberæ populi voces, quòd nullus fieret imperandi tributi finis, nullum ex eo compendium. Assueverat spernendis vulgi rumoribus; & minus eorum ducere modò rationem poterat, cùm obnoxium haberet Legato-

Vilhelmus Rex ad pacem inclinat animum, & quare.

gatorum Concilium, quantam ipse vellet, pecuniam, fastidioso licèt animo, decreturum. Ea tamen solicitum angebat cura, quòd non facilè, superioris anni documento, explicari posset, unde illa corroganda foret. Tunc enim octogies centena scutatorum millia ad conficiendam, quam Concilium decreverat in bellum, summam defecerant, unde gravior exercitui annona, tardaque stipendia non sine ærumna & querelis. Quamobrem Rex, ne hujusmodi difficultatibus militum animi, ut fit, hebescerent, amicorum fidissimum Vilhelmum Bentingum Portlandi Comitem in Angliam miserat, quidpiam pecuniæ undecumque posset, contracturum; & aliquid expresserat a Batavis diu frustra abnutantibus. Succurrebat insuper, cives ægre ad producendum bellum se postmodum eblanditurum ostentata deprimendorum Gallorum spe, quam adhuc eventus fefellisset; ac peregrinum se Regem esse, cui, e vivis erepta Maria conjuge, non sanguinis jure transmissum regnum sed violento Concilii decreto; quo vinculo, si motus fiat, non facilè populi fidem retineri. Satius proinde sibi esse (hostis enim, compositis contentionibus, nullum ea de re negotium exhibiturum promittebat), omnem turbandi seditiosis ingeniis occasionem eripere, positoque metu, rerum potiri. Itaque nuntia-

1696.

1696. *Idque Hollandis refert.* tiavit Hollandiæ Magiſtratibus, quos nunquam deſtiterat Callieresſus ad pacem ſolicitare, ſe de hac tandem reconcilianda ac de conditionibus audire, in animum induxiſſe. Grata hæc iis accidit Regis voluntas, feſſis bello, nec audentibus illo invito ejus finiendi ſermonem inferre; delataque ad Fœderatorum Ordinum Senatum, huic parem lætitiam attulit, reputanti, bellum jam novem per annos productum exhauſiſſe ærarium; & iſtud nonniſi Reipublicæ fide, quæ nunquam concidiſſet, ſuſtentari. Parta Italiæ pace, Gallos modò graviores infeſtioreſque Belgio fore; & liberi moderatique eſſe populi, quo utroque nomine ſuam gentem gloriari, non fovere alienas inimicitias, ſed ſuæ conſulere tranquillitati, quæ ſi otio haberi queat, ab armorum tumultu illam penitus abhorrere. Tacita verò mente complectebatur, nimium ſuæ libertati conducere, ſedatis externis diſcordiis exarmare Vilhelmum Regem, Reipublicæ moderatoribus ex ejus ſuprema hæreditaria exercitus præfectura gravem & imperioſum; ſuſpecta liberis populis cujuſlibet auctoritate, quæ legibus obniti poſſit. Hiſpani propoſita reconciliatione lucem aſpicere videbantur, fracti malis, intraque Imperii ſui viſcera furente bello. Germanis, qui proximi Rheno ac periculo erant, eadem ac illis cauſa

Cunctis deinde Fœderatis Ordinibus.

Quibus gratum accidit Regis propoſitum & qua de cauſa.

Pariterque Hiſpanis.

ſa cupiditaſque . Remotiores , ærumnis intactos, nulla fere in alterutrum ducebat cura. At qui Cæſari neceſſitudine aliiſque argumentis obſtringebantur , ſuam ex ipſius ſententia moderaturi erant. Huic autem a quietis conſiliis diſtrahebatur animus. Quamquam enim barbarico bello premebatur ; & Gallico defunctus, cunctis Imperii ſui viribus refringere ſurgentes Muſtapho Regi ſpiritus poterat; apud ſe tamen cogitabat, Gallos ad Rhenum reliquorum Germaniæ Principum copiis (quod antea inexpertus non reputaverat) repulſum iri ; ſibi verò, compoſitis cum Ludovico Rege Fœderatorum diſſidiis, minui ſpem adeundæ Hiſpanicæ hæreditatis, quæ, quotidie magis concuſſa Caroli Regis valetudine, non procul diſtare videbatur. Enimvero inter percuſſi fœderis leges occultè cum ipſo ſocii convenerant, Hiſpanienſem Dominatum communi ſtudio atque armis Archiduci Carolo ejus filio, quandocumque decederet Carolus Rex, ſe vendicaturos ; verebatur autem ne confecto Gallico bello, unà cum ardore animi conſideret prompta illa ad agendum voluntas, quæ niſi præſens æmulatio ſtimulos addat, hebeſcit ; neve, ſi nuſquam potentiſſimi Regni vires diſtraherentur , materna in Hiſpanienſe Imperium Delphini jura, armis aſſerta , perſuaſiſſima ei genti forent . Verùm in-

1696. *Germanorum animi diviſi.*

Cæſar diſſimulato pacis deſiderio cur bellum malit.

1697. *Attamen Legatos ad Conventum mittit*

inclinante ad pacis consilium Vilhelmo Rege, qui præcipuum fœderis Britannica pecunia fulcimentum erat, adversari non poterat; nec mitissimo ingenio Principi congruebat, moram videri pacificando afferre. Ratus quoque, plura inter pacifcendum obventura, quæ nulla sui nota concordiam dirimerent; ad Conventum mittere legatos annuit. Risvvicum, Hollandiæ oppidum non procul Haga facili omnium consensu ad colloquendum indictum est, Nassaviaque prope oppidum domus, Neoburgensis nuncupata, quòd Neoburgi Regulus primum posuerit lapidem, dum illam appararet Federicus Henricus Arausionensis. Ante Legatorum discessum placuit ineundæ concordiæ fundamenta jacere, ne irent in incertum opus. Definitum igitur, ut Monasterii & Noviomagi sancitæ pacis leges illesæ manerent. Vilhelmus nullo unquam ab Gallis oblato discrimine, in Anglia regnaret. Conventus moderator, & conditionum, in quas convenirent, sequester adhiberetur Carolus hoc nomine duodecimus Sveviæ Rex. Nam ne Pontifice Maximo, cui præsertim id muneris inter Catholicos Principes congruebat, & Rex Ludovicus assentiebatur, pacificatore uterentur, quotquot ab Romanis Sacris dissentiebant, obstitere. VII. Id. Majas primum inter Legatos colloquium habitum.

Spe de pacis conditionibus non facilè consensum iri.

Quò Congressus indicitur.

Aliqua prædefiniuntur, quæ aditum pacifcendo aperiant.

Ab

Ab Cæsare venerant Comites Dominicus Andreas Kaunitius, Henricus Stratmanus, Baro Seylern ; ab Galliæ Rege Nicolaus Augustus Harlæus, Ludovicus Verius Crecii Comes, Franciscus Callieresus. Legaverat Hispanus Bernardum Franciscum Quiros, Ludovicum Alexandrum Schokardum Tirimontii Comitem. Pro Vilhelmo Angliæ Rege Thomas aderat Pembrochii Comes, Eduardus Villiersi Vicecomes, Robertus Lexinctonus Eversham Baro, Eques Joseph Villiamsonus; pro Fœderatis Ordinibus Jacobus Boreelus, cui vita functo suffectus Antonius Heinsius Hollandiæ Tribunitia potestate Magistratus, Everardus Veedus, Vilhelmus Haren. Sequestris munus Caroli Suecorum Regis nomine acturus accesserat Baro Nicolaus Lillierootus. Vixdum emolliendis ineundæ pacis difficultatibus congredi incœperant, arma repente ab Ludovico Rege intonuerunt. Is haud ignarus, hostem vehementius urgendum, si melioribus conditionibus pacisci velis, deducto ex Italia milite, conscriptisque novis legionibus, magno incremento auxerat exercitus, dum interim Fœderati in spem pacis intenti, segnius obierant Martis munera : incurioso, si mox dissolvi debeat, plerumque fœdere. In Belgio, ubi præcipua erat belli sedes, supra centum armatorum millia collegerat, eorum inter Vil-

1697.

Legatorum nomina.

Galli maximis Copiis in Belgio mature adsunt.

1697. loregium, Beuflersum, Catinatium diviso imperio. Catinatio datæ duæ ac viginti equitum legiones, peditum paullo plus totidem, quibus Athum oppugnaret. Ab hujus oppidi læva Villoregius ad Tenaram amnem prope Læsinam castra posuit, in Flandriæ urbes intentus. Ab dextra Beuflersus circa Soegniacum, quò ex interjacente Sambræ Mosæque fluviis tractu se admoverat; brevi expeditaque via rediturus, si hostis in eam partem signa verteret. Siquidem Vilhelmus Rex cum quinquagenis amplius millibus Gamapium se contulerat, anceps, Athum Sambramne peteret, expectabatque validum ab Rheno Germanorum globum, ac Boioarium Octovirum cum tricenis fere armatorum millibus ab Deinsa, ubi adhuc in stativis fuerat, Gallicis Flandriæ oppidis insidiatus. Quæ dum ita consisterent, Catinatius Atho circumduxerat vallum, vineasque promovebat. Sedet illud in Hannonia provincia ad Teneram amnem, quo dividitur. Septem habet rostrata majora propugnacula, quorum quæ duo exeuntis fluminis custodiunt fauces, utrinque munit cornutum opus. Mœnia proteguntur interiori aggere, exteriori fossa, quam octo pedes altam turgens objecta mole fluvius inundat. In ejus margine septem surgunt semilunares munitiones, occupantque interpositum propugnaculis

Athum invadunt.

Oppidum & oppugnatio describuntur.

culis spatium; totidemque e media stagnante aqua illis a tergo emergunt loriculę, aditum & ipsæ ad mœnia prohibentes. Quatuor fere militum millibus, quæ inibi præsidio erant, Croyus Reuxi Comes imperitabat. Adversùs Namurci Luxemburgique, ut vocant, propugnacula, ijsque interjacentem parmam vineæ ducebantur: quæ cito ad fossæ labrum productæ, præsidiariis intra mœnia detentis, cùm semel ingenti agmine egressi, nimio id sibi stare pretio didicissent. Prima tricenis concussa tormentis parma aditum præbuit. Obstabat ad irrumpendum altior, quàm ut pervadi posset, stagnans aqua. Igitur ad eam deprimendam versa in repagulum ignivomentium ollarum vis quingentum pondo, qua ruptus fornix cohibitis undis viam dedit. Mox machinarum ictibus fracta penitus mole, stagnum desedit, siccatumque fascibus iter ad apertam semilunaris castelli frontem. Nec mora duo pyrochitrophorum cohortes ruinarum clivum conscendunt, deturbatisque sexagenis præsidiariis, qui sarissis occludere connitebantur hiantem murorum loricam, ibi pedem ac signa statuunt levi molimine & nulla suorum cædę. Hostium sex obtruncati, reliqui in promuralem aggerem progressi, cùm tutò regredi in oppidum non possent, capti. At retinere locum, nec vicissim detrudi, non ita 1697.

1697. facile Gallis negotium fuit, postridie mane, vix dum illuxit, obrutis omnium missilium turbine, quem præsidiarii e superiori mœnium aggere ferocissime concitarunt. Stetere illi tamen intrepidi ad suorum necem, felici eventu conati vallum, quod nocte incœperant, tandiu extollere, quoad penitus eo tecti sævienti procellæ se subduxerunt. Lacerari deinde cœpta duodecim arietibus opposita propugnaculorum latera, ne in eorumdem frontem, jam antea muro denudatam, irrupturis discrimen objicerent. Iis quoque fossa inibi æquata virgultorum strue nullam faciebat irrumpendi moram; cùm oppidani, ne mox impetum daturis succumberent, signum deditionis proponunt decimo tertio die, ex quo militaris agger ad muros promoveri cœperat. Facilè cum Catinatio de conditionibus conventum. Teneramundam abirent omni militari decore. Transfugæ redderentur. Quinque militum Præfecti manerent, donec totidem Gallici pari ordine Namurcensis prælidii restituti forent; quos Vilhelmus Rex discedentes in custodia haberi jusserat, usquedum præsidiarii contractum cum civibus æs alienum dissolverent, & modò solvendo esse profitebantur. Dati obsides Chimæi Princeps ariete aureo torquatus, Catorius protribunus militum, unius legionis Instructor, duo Centuriones

Quibus conditionibus in Gallorum potestatem venit.

riones. Sub oppidi deditionem Boioarius desperata ferendi auxilii spe Deinsam cum sua militum manu remigraverat, veritus Aldenardæ, Brugisve, aut alii cuicumque per eam oram oppido, quæ statim auctis præsidiis firmavit, ne Villoregium, Atho subacto, ad se illicerent. Vilhelmus, exercitu propius Bruxellas admoto, insedit difficiliora circum loca, urbemque latissimo cinxit vallo, ut ab ea longius arceret hostem, qui ejusdem verberandæ causa, si se pecunia non redemisset, signa illuc moverat; ita sua spe dejectus. Quæ dum illic geruntur, Barcinonem Cataloniæ caput Vindocinus oppugnabat ea utrinque strenuitate, ut appareret; maximum in ejus fortuna momentum esse. Mari alluitur urbs nobilissima & portum habet. Valida, sed prisci moris murorum lorica, rotundis interjecta propugnaculis, circummunitur. Præcipuum autem obtinet robur ex majoribus decem rostratis, quæ parum a mœnibus disjuncta ac per gyrum disposita, circumeunte lata fossa viaque tecta, magnam hosti sui speciem exhibent. Ab occidente brevi intervallo mons arduus ei prorsus imminet ab Jove dictus, quem supra litus protensum duo castella insident, alterum in jugo, in clivo alterum, unde majora e catapultis jacula ipsam urbem penitus interiorem habent. Civium illic præfecturam gerebat

1697.

Boioarius circa Deinsam.

Vilhelmus Rex prope Bruxellas castra metatur.

Barcinonem Galli invadūt.

Quæ ibi munitiones.

1697. bat Corzannæ Comes legatus ; armorum Hassiæ Darmstadiensis Landgravius. Præsidium ad peditum decem millia, equitum mille quingentos per eos dies a Velasco prorege auctum fuerat. Centuriata pariter extemplo civium quatuor millia, mox plures alii, qui Patriæ memores utilem in eo rerum discrimine navarunt operam. Cunctis faciebat animos apertus ex Monte Jove ad opem subinde accipiendam submittendosque commeatus aditus. Cùm enim Gallorum exercitus non plus quinis vicenis constaret millibus, ad eum quoque montem complectendum vallo stationibusque Vindocino haud pares suffecerant copiæ. Nihilo secius facinus aggredi non dubitavit, gnarus, externa vi ab eo deturbari se non posse, cùm Proregi vix quatuor equitum, duo peditum legionariorum millia superessent; & provinciales, quamquam sublato consulari totius provinciæ vexillo, ad quod veluti in extremo Patriæ periculo, quotquot militari sunt ætate, convenire sacrata lege debent, quatuor vicenaque millia concurrerant, subitarius ceteroquin miles, nec bellica subactus arte; haudquaquam illi pensi erant. Statim ut sub æstatis initium decem majoribus navibus Æstreus, tricenis quinqueremibus Noallius obsedere circumpositum litus; urbem & ipse ab eo, quod ver-

Quid armatorum.

vergit in ſeptentriones, latere exagitare cœpit, vineiſque ſubire duo contigua propugnacula, quæ ab D. Petro ac porta nova nomen habent. Primam oppido peſtem, quæ nunquam per omne oppugnationis tempus ceſſavit, pyrolmi attulerunt intortis ignipotentibus ollis duodecim millibus, ut ferebatur, ortaque illinc immenſa ædium ſtrages; quæ tolerata æquo animo, civium in Regem ſuum oſtendit fidem, efferavitque, ut in extremo dolore, ad ultima, ne cederent, perpetienda mala omnium mentes. Provecto nonnihil aggere diſpoſitiſque tormentis, utriuſque frons propugnaculi interiectaque mœnia feriebantur. Undevigeſimo die lento molimine ad viam tectam perventum eſt, tardata foſſorum opera quadragenis e muro jaculantibus machinis frequentiſſimiſque pyroſcorpionum telis, unde mors incaute progredientibus in promptu erat. Quin & quinquies aliquid aggeſti ſoli diſperſum, facto ab oppidanis urbem egreſſis impetu, non impunè quidem; ſed ad remorandum atque impediendum iter ſatis fuerat. Res hactenus non adeo pervicaci animo geſta; ubi propior periculo fuit, vehementius inhorruit. Gallis; ut in viam tectam deſcenderent, maturum videbatur, nec ullam, ut irrumperent, faciunt moram. Concubia nocte ad terrorem altius injiciendum, vi-

1697.

Celeberrima oppugnatio deſcribitur.

1697. viginti pyrochitrophorum cohortes, subsidiario suffultæ agmine, Barbasoni Marchione prolegato duce, trifariam divisæ ad obiectos rostrati utriusque propugnaculi angulos mediumque loricæ spatium in ipso margine signa statuunt, vulsisque vallis præcipiti conatu in hostem se demittunt. Stabant ex adverso Hispani ad pugnam haud imparati, nec segniter repellebant irruentem hostem. Sed obruti undique manualibus ollis incendiariis, in medio & ad lævam sub ipsis mœnibus se recipiunt. In dextra diutius Mars efferavit. Aderant enim ducenti quinquaginta minores emeritis stipendiis militiæ duces, qui sarissis armati viam obsæpiebant. Verùm & illic sæviente nimiùm ollarum tempestate tantum dedere tandem subeuntibus loci, ut firmandæ muniendæque stationi satis fuerit. Negligentius alibi Galli se contexerant, egesto per noctem solo. Quamobrem prima luce, frequentissimis e superstante mœnium loricula telis dilacerati pedem referre compulsi sunt. Non eadem Oppidanis ad lævam eblandita fortuna est; ubi hostis, acerrime licèt oppugnatus, jam altius educto vallo, pedem tenuit. Quin & postridie ad illa duo viæ tectæ loca, unde repulsus fuerat, haud irrito conatu rediit. Cùm tamen ei tempus ad objiciendum aggerem non suffecisset, erumpentibus iterum Hispa-

ſpanis loco cedere opus fuit . Id oppugnatores in furorem concitavit adeo, ut illuceſcente novo die quatuordecim pyrochitrophorum cohortes, una ſuffultas equitum ſagittariorum turma pedibus præliatura , Noallio duce ad expediendum iterum a præſidiariis locum immiſerint, nec irrito eventu . Hi ſiquidem poſt immaniſſimam pugnam ceſſere ſe ſe inferentibus incredibili audacia Gallis, quos deinde, quamquam ſemel atque iterum inſtaurato prælio divexatos , veſtigio rurſus movere, fruſtra conati ſunt. Gallorum ibi cæſi viginti Centuriones, mille pyrochitrophori ; totidem vulnerati . Nec minor oppidanorum clades. Adeo verò utroſque jam ſtrages & morbi debilitaverant, ut vires ad protrahendam obſidionem non ſuppetiiſſent , niſi Vindocino per hos ipſos dies decem millium partim legionariorum partim tumultuarii militis ſupplementum advenıſſet ; & oppugnatæ urbis robur inſtauraſſent mille quingenti e Septæ præſidio iſthuc ex Africa traducti , totidemque ex iis , quæ ipſum circumſtabant , copiis a Velaſco prorege ſubmiſſi . Is quoque propius admotis caſtris , quæ ad Clodiani amnis ripam poſuerat, paratiſque, ſicubi foret opus , novis auxiliis , tantos addebat obſeſſis animos , ut Landgravius ad oſtentandum ſolicitudinis vacuitatem quotidie inter armorum ſtrepitus ca- 1697.

1697. ni fidibus supra mœnia juberet; cui pares Galli reddentes ludos, tibiis inflatis ad vineas succedebant. Adeo miseris Mortalibus boni malique discrimen opinione tollitur. Eò tamen res devenerat, ut de urbis occasu præfectus Corsannæ Marchio Landgraviusque timere inciperent. Nam hostis lente quotidie quidpiam soli carpens jam ad vivum pervenerat, & nisi memorabili aliquo facinore penitus detruderetur, verendum erat, ne mœnia superscanderet. Itaque cum Velasco prorege conveniunt, ut dum præsidiarios omnes condicta nocte in hostem immitterent, ejusque interiora opera aggrederentur; hunc ipse ab tergo ab latere urgeret concideretque. Quod ubi Vindocino transfugarum indicio compertum fuit, priusquam tantum discrimen adiret, insequenti die sub auroram, quando altius corpora somnus opprimit, proregis stativa vix aliquo munimento tuta adoriri statuit. Bipartita erant, negligenterque, in tanta licèt inimici exercitus vicinitate, custodiebantur. Michael Gonzalez Otassius septingentos equites, octo insuper provincialium millia haud longe a Gallorum vallo, qua parte Boream respiciebat, sensim adduxerat, sæpius nocte non sine gravi eorumdem incommodo quidpiam hostile ausus; & modò Barcinone per montem Jovem ad meditatum facinu

mi

mille pedites legionarios acceperat. Hunc Vindocinus invadendum attribuit Ussono prolegato, datis in id quingentis equitibus, decem peditum centuriis. Velascus tria equestris militiæ millia, sexdecim provincialium peditum ad Gallici munimenti dextrum latus admoverat, tribus haud longius passuum millibus. Isthuc, ut rei momentum suadebat, Vindocinus ipse octo peditum, trium equitum millium agmen duxit. Audax consilium fortuna, ut non rarò, faustum reddidit. Ussonus ubi primas Gonzalesii stationes in conspectu habuit, celeri gradu se se immittens, plures semisopitos occidit, reliquos armorum strepitu, ac morientium ejulatu expergefactos, in fugam dum se proripiunt, tandiu cecidit, quoad in proximos asperos tumulos, unde non facilè detrudi poterant, per notos calles se subduxere. Interea Vindocinus præmisso Legale catervarum ductore cum bis centum quinquagenum turma Corellam vicum adeo repente advenit, ut vix excubias non fefellerit; quas tamen ad arma inclamantes, & quotquot hostium obvios habuit, obtruncat. Ibi Grignii Marchio, magister equitum, turmas aliquot continebat, proregis imperium expectare jussus. Clamore admonitus, hostem adesse; dum alibi tumultus personat, clam se se eripuit, 1697.

 nec

1697. nec suos magna cædes est consequuta, quippe quos circum dissipatos subducebat hostium conspectui nondum satis aperta dies; & Gallis prima erat cura, ad S. Felicis, quod parum distabat, Fanum Velasci copias longe frequentiores inopinato aggredi. Nec secus accidit. Pauci in flexu viarum vigilabant, qui cùm procul per incertam lucem intendere haud possent oculorum aciem, ignari quid hostium adventaret; rati simul non alios esse, quàm vagantium prædatorum excursores, dum nuntiant minora vero, auxere suis periculum, metu imminuto. Segnius enim induentes arma & ad signa se colligentes oppressit hostis non tenui clade, quamquam leviore, quàm pro tanta militum multitudine inferri posset. Mille siquidem quà cæsi quà vulnerati. Velascus incondito strepitu perterrefactus, e cubili surgens, primis tantùm indutus vestibus fugam arripuit. Nondum victæ aurora tenebræ, & late dispersa contubernia plurimos, ut ad Corellam, neci subtraxerunt. Clodianus amnis tutum fugientibus receptum dedit; cùm præsertim aliquam tandem fecisset persequentibus Gallis moram turma equitum, quæ ad suorum discrimen conglobata, conspiciensque illos (nam cœlum jam rubescebat) late palatos ferociter invasit, plus centum necatis. Vindocinus rei bene

bene gestæ gloria, septingentum equorum 1697.
præda ac militari sex supra sexaginta scutatorum millium ærario auctus, miles manubiis, in castra rediit. Re cognita, præsidiarii nequaquam desponderunt animos; quin & duriorem, quàm hactenus, oppugnationem se reddituros, minitabantur. Quocirca Vindocinus vim & ipse tanto vehementius adhibendam arbitratus murum duobus concussis propugnaculis interiacentem crebriore arietum ictu feriri jubet, atque incendi ad lævam cuniculum, quo latus illud rostrati munimenti suspensum fuerat, eoque disrupto sublatum est. Iam centum lorica patebat passus, & maturum ad tentandam utrinque in oppidum viam tempus videbatur. Imperatoris quoque ab re gerenda consilium non abhorrebat. Abstinuit autem certior factus, Landgravium, urbi veritum, si obfirmate hostes se immitterent, proregi suasisse, ut intra mœnia induceret, quicquid equitum sibi prope reliquum erat, pedestri pugna ad aperta mœnia decertaturum. Non enim e re sua esse duxit, incerta nimis alea in pugnam ire. Urgenda potius opera, & aliquo temporis dispendio complurium suorum vitam redimendam. Itaque per aliquot dies productus agger intra fossam, caveisque penetratum sub utriusque verberati frontem propugnaculi; nec ita multo

1697. to post immisso in sulphuratum pulverem igne, latius murorum strage patefactum ad irrumpendum iter. Et irrupere quidem ferociter, pari ferocia ab oppidanis excepti. Diu stetit obstinato furore prælium. At sub noctem Galli majorum minorumque ducum præsentia in stolidam prope iram efferati, ac vires animo redintegrantes, audacter adeo impressionem dederunt, ut Hispanos vestigio motos ab lævo propugnaculo prorsus detruserint; in dextero subire coegerint intermedium vallum, quo area dividebatur. Nox certando finem attulit. Ubi Sol diem retulit, recruduit utrobique pugna, ingenti numero ac vi se se inferentibus oppidanis, vice sua dejecturis hostem, unde ipsi pridie propulsi fuerant; inutili in dextrum propugnaculum conatu, lævo in potestatem redacto. Grande isthic bellicæ virtutis enituit specimen. Birkenfeldi Princeps ab Coignii Comite prolegato, qui tunc ad vineas excubabat, suam ad illud recuperandum inferre legionem jussus, magnanimo incessu clivum ascendit, collatoque pede præsidiarios armatis cuspide pyrobalistis tanto depulit spatio, quantum locando media in area legionis vexillo satis fuit. Ad ejus conspectum, ira & pudore irritante animos, furibundi redeunt præsidiarii ad pugnam; quà ferro, quà igne vice sua Gallos abigunt, illicò

lico tamen regressos iterumque pulsos, signo 1697.
vicissim reposito deturbatoque. Jam dies eò processerat, ut mutandis excubiis tempus adesset, recensque ad vineas inducendus foret miles ac ducum alter, qui tanto in discrimine curas ac mentem rebus illic agendis adhiberet. Ne sibi ante succederetur, quàm inde Hispanos protrusissent, Coignius Birkenfeldusque rogatum mittunt; nec Imperator quidquam negare tantæ virtuti, æquum duxit. Data, quæcumque vellent, agendi venia. Birkenfeldus suppleta legione sua recenti alio milite, se tertiò in clivum erigens instaurat certamen, quo nullum crudelius ac pertinacius, cùm alios obfirmaret parta bis pulsis hostibus gloria; alios inexorabilis, nisi reddita vice, pudor. Victoria denique ab oppugnatoribus stetit, qui vacuo in munimento magnis acclamationibus vexillum statuerunt. Quamquam paullo post prosperi successus gaudium temperavit concepto igne subjectus nitratus pulvis, quo discissa humus hausit insidentium plures; reliqui tamen nullo moti periculo tenuere locum. Pars dextri propugnaculi supererat expedienda, in idque dedere operam Galli, cursu aggerem subeuntes. At frequentissimis jaculis discerpti, ne nimia suorum cæde consternerent solum, cursu pariter pedem retulerunt. Vindocinus tantam fero-

1697. ferocitatem haud amplius provocandam ratus, aggerem ipſum catapultis imperat diſſipari, vineaſque admoveri. Verùm Hiſpani non diu ſe illic adverſus obſtinatam vim duraturos, nec tanti eſſe locum, ut cumulata ſuorum ſtrage tutandus foret, arbitrati, priſca intra oppidi mœnia non ita multo poſt receſſere. In hæc igitur cuniculis ſubvertenda verſum oppugnatorum ſtudium. Nec diu fuit, quin caveis ſuſpenſa fuerint, eoque immiſſus ſulphuratus pulvis. Quod ubi geſtum, extremam Vindocinus vim exerturus, decem pyrochitrophorum cohortes, octo peditum, duas equitum ſagittariorum legiones, qui dimiſſis equis certantes incenderent æmulatione peditum ſtrenuitatem, vineis contectas ad muros admovet, vixdum ii latius baccante igne diſciſſi forent, irrupturas. Impendentis ruinæ, priuſquam incideret, admonet Corſannæ Comitem, ut ſi tot mortalium clariſſimæque urbis excidium direptionemque declinare vellet, facta illico deditione, poſſet. Ille periculi, quod exploraratum miſerat, certior redditus, negotium cum Velaſco prorege inſtituendum dixit; in idque accepto unius diei ſpatio, poſtridie renuntiavit; ſi de conditionibus conveniret, ſe cum præſidio diſceſſurum. Quæ dum aguntur, literæ ab Carolo Rege adveniunt, quibus Velaſcus (adeo accepto ad oppidum S. Felicis nomi-

nomine nuncupatum calamitas, veluti eiusdem negligentia parta, male audierat) in ordinem cogebatur, mandato provinciæ imperio Corsannæ Comiti, armorum Landgravio. Is probabilem nactus protrahendæ deditionis causam, Vindocinum docuit, de re iterum sermonem instituendum secum esse, in quem suprema rei bellicæ cura translata fuerat Dato colloquio, processere ambo in apertum extra munitiones locum. Prima Landgravii postulatio fuit, tantum interseri tradendæ urbi tempus, quanto ut, id ne Regi placeret, exploratum mitteret, novo Prætori foret opus. Negato qualicumque procrastinandi spatio; oppidum extemplo in potestatem tradere, assensus est, dum simul per Cataloniam induciæ fierent, quoad e Risvicensi Conventu, quæ non diu absfutura videbatur, pax prodiret. Pactæ usque ad Kalendas Septembres (nonæ tunc erant Sextiles) condictumque, arma divideret Clodianus amnis. Præsidiariis, quicquid pro deserenda urbe postularunt, vix non penitus datum, fatente Vindocino: ipsorum, majorumque præsertim ducum strenuitatem, civium erga suum Regem fidem ita meritas esse. Abiret miles omni ornatus militari decore, triginta secum adduceret majores catapultas, tantumque bellici apparatus, quantum sexies illis, pyrobalistisque instruendis satis foret. Sex

1697.

Barcino pactis per Hispaniam induciis honestissimisq. conditionibus in Gallorum ditionem concedit.

 fuere

1697. fuere peditum millia, nam equites dudum exierant; iis totidem cives, qui arma per oppugnationis tempus induerant, se conjunxere. Simul cum oppido in deditionem venerunt duo Montis Jovis castella. Tenuit memorandum facinus duos quinquagenosque dies postquam militaris agger ad muros promoveri cœptus. Absumpsit Gallorum septem amplius millia, in his quingentos minorum ducum, majorum neminem. Tantæ cladi strages oppidanorum vix non æquata. Civitati veterum immunitatum nihil ademptum. Hispaniensis tantùm pro vera tuenda religione Magistratus, Inquisitionem vocant (nec patuit causa) petentibus, ut maneret, denegatus. Barcino, citerioris ab ea parte Hispaniæ propugnaculum, in Gallorum ditionem redacta, mirifice Matritensem Aulam consternavit, auxitque mœrorem certus per eos dies rumor undique dissipatus, Americanam Carthaginem eorumdem armis subactam; indeque asportatam auri, argenti, gemmarumque ingentem vim Brivatem in Gallias pervenisse. Ea summam conficere octogies centies mille scutatorum, fama fuit. Facinus inopinatum & audax auctorem ductoremque habuit Pointium proprætorem, qui ab Ludovico Rege acceptis septem bellicis majoribus navibus, tribus humilioribus, minoris formæ sex, unaque pyrolmopho-

Qua edita utrinque cæde.

Quanto Hispanorum dolore, qui auctus expilata ab hostibus Americana Carthagine. Ingens illic educta præda, & facinus enarrantur.

mophora, ad insulam primum ab S. Dominico dictam, quæ Americam septentrionalem respicit, appulsus; Ducasioque ejus præside cum quindecim prædonum myoparonibus in periculi prædæque societatem secum adducto, Americæ australis prope isthmum tenuit litus, ubi Carthago novæ Granatæ provinciæ caput, sita est. Ea tribus exterioribus castellis, valido præsertim ad portus ostium, longiùs aditum ad se prohibet; muniturque protensis e mœnium circumitu paucis propugnaculis. Inerant supra duo militum Hispanorum millia. Nihilo secius sex non amplius suæ gentis millibus oppugnatam Pointius non ita multo post ad deditionem coegit; eductisque nonaginta æneis machinis, deletis alibi, & alibi corruptis munitionibus, præda opulentus abiit. Hæc renuntiata imbecillam Caroli Regis valetudinem ex animi ægritudine pertentarunt, moveruntque illum proposito, quod Cæsari gratificaturus susceperat, nunquam ab eo separatim se pacem cum Gallis reconciliaturum; idque dudum Ferdinado Harrachi Comiti confirmaverat, quem Leopoldus, magnæ virum auctoritatis consiliique, veris initio ad eum rogatum miserat, ut animum tandem induceret, Carolum ipsius Cæsaris minorem natu filium, omnium opinione successorem sibi e sua Majorumque voluntate destinatum, obsignatis tabu-

1697.

Suorum ærumnis commotus Carolus Rex, & Procerum querelis ad pacem propendet

Quamquam illum separatim non confecturum Cæsari pridem affirmasset.

1697. tabulis prodere. Itaque postquam Barcino Gallis cesserat (ut nihil præsenti malo ad flectendas hominum mentes potentius est) Proceres tandem audierat inclamantes: non Cæsaris sed civium commodis consulendum ei esse; interiores provincias modò prædæ, ruinis, vastationi patere; nec expectandum, ut impendens procella in eas desæviat & cum ingenti fragore luctum, stragem, terrorem afferat. Satis Austriacæ cognationi datum, repudiatis per Cataloniam induciis, quas Rex Ludovicus, sequestre Pontifice maximo, ineunte hyeme pangendas obtulerat; totque toleratis ærumnis, quæ tum quoque certò imminere videbantur. Nunc ineunda pace reliquas præcavendas, cùm præsertim honestis conditionibus iniri queat. Cur enim ajebant, ad eas accipiendas quidpiam fieri moræ? An ut Sociorum auxilio ulciscamur acceptas calamitates? Veluti obliti simus, nullum per æstatem nobis affuisse, licèt otiosa ipsorum classis tunc per Oceanum vagaretur; & a paucis jam ante in Cataloniam adductis Germanorum copiis quidpiam in nos aliud fuerit derivatum, quàm rapinæ, injuriæ, atque intolerabilis Hispaniensi gravitati rerum nostrarum contemptus. Quod si ostentata erga nos ab Ludovico Rege liberalitas, insidiosa, ut a Cæsare pervulgatur, nec diuturna censeri debeat; non ideo tamen recusanda. Nam & in-

Quibus rationibus in hoc propositum inductus.

& insidiæ, sumpto ad respirandum spatio, dissipari poterunt; & est salubre quicquid feralem perniciem, si non extinguit, saltem moratur. Ceterum utcumque se res habeat, præsens discrimen nunquam deliberat; sed statim ad qualecumque remedium, quo dissipetur, inducit animum. Ei siquidem, ni statim caveas, frustra in posterum providetur. His Rex commotus ad pacem vel seorsum a Cæsare constabiliendam se totum vertit, dato proinde suis apud Risvicensem Conventum Legatis negotio, ut se pariter ex formula ab Gallis proposita cum iis reconciliarent. Jam ibi cum Britannis Batavisque res convenerat. Siquidem Vilhelmus Rex pertæsus Anglicæ libertatis, qua quotidie tot comparati exercitus, ornataque classis tamquam inutile terentes otium, lacerabantur; nec ferre ultra posset querelas militum stipendia flagitantium, quibus ærarium novis tributis cunctanter suppletum non sufficiebat; longis abruperat Conventus moras, data opera, ut inter Beuflersum Bentingumque, illum ab Ludovico intimi animi compotem redditum, hunc amicorum præcipuum ab Vilhelmo de pacificandi legibus arcani sermones instituerentur. Sexies prope Hallam congressi sunt. Constans Principum secreta curiosius rimantibus opinio fuit, vix ibi quicquam aliud in contentionem venisse,

quàm

1697.

Mandat oblatas pacis conditiones accipi

1697. quàm quid Jacobi Regis futurum esset; quem cum regia Conjuge ac Filio Vilhelmus e Galliis abductum vellet, ne sibi regnandi tranquillitatem e propinquo interturbaret; & Ludovicus e fide ac dignitate sua non esse diceret, socio atque amico Regi tutum apud se receptum abnuere. Post longas ambages in eo denique conventum est, ut se sacramento Ludovicus obstringeret, nullas in Anglia se auctore, vel auxiliario, turbas commotum iri; nec Vilhelmo, quin pacifice regnaret, negotii quidpiam exhibiturum. De illius successoribus transigere nihil voluit; idque Arausionensi parum pensi fuisse, creditum, vix, cui regnum transmitteret, anxio. Ubi satis ista placuere, facilè de ceteris transactum est; quæ fere de frequentandis inter utramque gentem commerciis, remittendoque in Vilhelmi ditionem Arausione circumpositoque tractu fuerunt. Ab his colloquiis Bentingus ad Risvicensem Conventum, quæ ad Regem suum pertinerent, explicata fuisse renuntiavit, movitque Fœderatos Ordines, ut quandoquidem fœderis prope arbiter ab armis discederet, bellum ipsi quoque finiendum statuerent, cujus proferendi non occasio, non vires, non animus sibi foret. Pacti minori educendarum e Gallia quarundam mercium portorio, bellandi finem

Quid firmatū.

Batavi pacem cum Gallis cōstituunt, ejusque conditiones.

finem fecerunt. Interea Hispanis legatis de componendis quamprimum cum hoste dissidiis mandatum fuerat. Nec mora iteratis sermonibus sedulam isthuc dedere operam. Duo non facilè expediebantur. Luxemburgum primò, quod Ludovicus Hispano se redditurum dixerat, nunc retinere compensato alibi damno connitebatur. Nec Britannus Batavique dissensuri videbantur, prudenter arbitrati: eo aperto in Germaniam Gallis aditu, finitimis Regulis haudquaquam liberum fore, præsidia prorsus dimittere, qua prompta subitis in rebus ope se usuros. At cùm in vestigio manerent Hispani legati, agerentque ex accepta formula ac fide, contentionem Galli remiserunt. Vicere contra (quod erat alterum controversum) ut duo & octoginta Belgii oppida nominatim edita, quorum pluribus Corteriacensis Fori decreto jam potiebantur, Batavorum judicio subijcerentur, sibi an Hispanis obnoxia forent; ni prius tamen privatis colloquiis de re consensissent. Statutis in hanc sententiam conditionibus rediere in Caroli Regis potestatem integris munitionibus, eoque bellico apparatu, qui, dum dederentur, repertus fuerat, Barcino, Gerunda, Rhoda, Belver, & quicquid intra Cataloniæ fines; Luxemburgum præterea, Caroloregium, Montes, Athum, Corteriacum, cunctaque jure

1697.

Cum Hispanis quidpiam disputatum.

Quomodo pax demum cū iis quoque composita.

re

1697. re belli post Noviomagensem pacem per Hispani Belgii provincias in Gallorum potestatem subacta. Germania Cæsaris potius voluntatem, quàm suæ gentis sententiam sequuta, non ita facilè ad reconciliandam cum Ludovico Rege amicitiam adducebatur. Verùm qui ejus Principes finitimi aut proximi Gallis erant, ubi se vel ab Hispanis desertos vident, clam urgere Leopoldum, ne, in sententia persistens, maximam sibi communique Patriæ perniciem pareret. Expertos hac pariter æstate didicisse, suis & hostium copiis pari damno se prorsus exhaustos; & sibi producto bello produci calamitates. Diligentiori delectu, atque ex Italia pluribus civium sociorumque accitis legionibus auctum exercitum ad quinquagena militum amplius millia; nec tamen hostes, quin Rhenum transmitterent, diuque miseram Palatinatus oram victitando populandoque affligerent, prohiberi potuisse. Id quidem non ipsorum strenuitati, sed insitæ fœderibus cunctationi tribuendum, quæ plerumque, ubi plures moliuntur, vitari nequit. Nunc autem Badensium Principem, collecto undique tandem exercitu, vice sua traducto amne cœpisse vineis Eberemburgum oppugnare; nec dubium, quin illud in deditionem accipiat, vix quadringentis præsidiariis, rarisque operibus circummunitum. Non enim ausu-

Germani, divisi licèt inter ipsos sententiis, ab armis illico non discedunt.

Pax a plerisque ipsorum expetita, & quare.

aufurum Choeſelium, in propinquo licèt caſtra metatum, cum tricenis tantùm, quæ ſecum habet, armatorum millibus opem inferre obſeſſis, aut acie congredi. At verò quàm minimum, iſtud tanti apparatus pretium fore? ni tamen id ipſum ingenti repetant fœnore illuc ab omni parte affluentes, otioſæ nunc alibi, Gallorum legiones. Quanto igitur ſatius eſſe, animum ſe quoque adijcere ad finiendum bellum: tolerabili, quæcumque detur, conditione, ſi duriora timeantur. Verùm quandoquidem non graves, non indecoræ, quæ hactenus propoſitæ ſunt, omnium ſermone perhibeantur; difficilis ingenii videri eſſe, ipſis non acquieſcere; inconſulti, meliores obventuras credere; improvidi, certum damnum impendenteſque ruinas non declinare. Cæſar jam inde ab Hiſpaniæ Regis comperta voluntate pangendæ pacis, prævideraт ſibi etiam a priſtino ejus diutius repudiandæ conſilio diſcedendum eſſe. At cùm dimittendum Gallis Argentoratum, quod hi poſt compoſita cum Hiſpanis, Britannis, Bataviſque diſſidia non amplius reſtituturos, ſed aliis oppidis redempturos, vociferabantur; & pretium ſibi obventurum percepiſſet; maluerat ad quietem extimulari, quàm ab ſe quæſitam redargui; ne apud liberas Civitates (nam ceteros id neglectui habituros, opinio

1697.

Cæſar ad illam invitus trahi videri vult, & qua de cauſa.

1697. nio erat) de abstracta ab Germanico Imperio nobilissima urbe in invidiam, veluti præmio captus, veniret. Itaque totius Germaniæ vocibus invitum se ab Gallico tumultu abstrahi professus, Hispaniensibus Legatis assensus est, ut in Risvicensi Conventu de sua quoque reconciliatione sermones instaurarent. Parum supererat præfiniti temporis, quo reliqui sancire decreverant promulgatas pacis leges; nec tantum tam brevi poterat rerum Germanicarum negotium digeri. Huic igitur agendo conficiendoque ad Kalendas usque Novembres, quo tempore forent induciæ, facta mora. Interea Fœderatorum ceteri a. d. XII. Kal. Oct. cum Ludovico Rege ex ea, quam diximus, formula pacem pepigere. Data insuper a Britannicis Legatis fides, omnium aliorum testimonio confirmata: Vilhelmum quotannis Reginæ Mariæ, Jacobi uxori, persoluturum quater ac decies Hispanorum aureorum millia; qui census, ab ipso Jacobo, ubi regnare cœpit, decem millibus auctus regiis Conjugibus in viduitate relictis, constitutus fuerat. Id isto prorsus ignaro gestum, quin & cavendum meminerat; nec aliud rogaverat Ludovicum Regem, cùm ab ipso de restituendi Galliæ populis otii necessitate instructus fuerat, nisi ut de se nullus paciscendo fieret sermo. Ceterùm dixit, cognoscere se

Producuntur cum Germanis induciæ.

Pax cum reliquis initur.

Jacobus Rex vetat quidpiã de se pac.sci.

se fortunam suam, vel potius omnipotentis 1697.
Dei voluntatem. Non enim sine manifesto ejus numine frustra non semel perduelles obruere pertentasse, vigentem licèt potentissimi Regis viribus, fultumque maxima suorum civium multitudine, quos partim prisca fides, partim recens pœnitentia sibi obstringeret. Nunc ventos obstinate adversos, nunc mare fluctibus exasperatum, aliquando properatam hyemem, obortas inter suos discordias, male quoque (fatendum enim) nonnunquam susceptum consilium rebus prospere agendis obstitisse. Id ut Catholicum virum decet, æquo animo ferre; nec esse rerum humanarum casus cogitantis, dolere inflictas injurias, quas præstare, in manu sua non fuerit. Quod verò in sua sit potestate, jus integrum Regni se retinere, nec Filio transmissum velle qualicumque vel minima pactionis specie debilitatum. Scire, quid Vilhelmi satellites, editis quoque libellis, per hominum ora dissipare studeant: Britannicum scilicet vacasse Imperium Regis abdicatione, intempestivo discessu, violatis legibus. Quæ quàm longissime a vero distent, latère Catholicæ aliarumque Religionum sectatores Principes (quamquam cui sit ignotum) datis publice ad eos literis, haud pertulisse; ne quibus vi licuit, calumniis quoque fas æquitatemque & sacra

Ejus ad Ludovicum Regem magnanimus sermo.

 fidei

1697. fidei vincula dissolvisse glorientur. Eos obtestatum simul fuisse, ut suarum non ultimam curarum velint esse, reducere in patriam sedem amicum Regem; haud obliti, acceptam injuriam ad eum modò unum pertinere, ad omnes exemplum; & regiam majestatem, si semel impunè violari cœperit, deinceps turbidis ingeniis ad res novandas non terrori sed incitamento fore. Supervacaneam, hæc orando, se ludere operam arbitrari; at saltem id suæ genti documento futurum, immerito sibi tantum vulnus inflictum; ut si quando, quod sperare liceat, præsentis excusserint jugum servitutis, ac jus respiciant, revocato legitimo Rege pudorem commissi sceleris majori luce fidelitatis obruant. Indoluit Ludovicus, tantam virtutem sævienti fortunæ ludibrio esse; melioraque ominatus, dixit: ingentes calamitates, non diuturnas. Mitescere quippe odium, postquam se alienis malis exaturaverit; & nullius magis ærumnis commoveri mortalium genus, quàm cujus felicitati inviderit. Quod ad se attinet, in scribendis concordiæ conditionibus aditum occasioni felicioris eventus non defuturum. Interim non illiberali hospitio, & plus centum in quoslibet annos scutatorum millibus daturum operam, ut molesta ægritudo, qua conflictetur, quidpiam remittat. Pace alibi parta, ut

Ludovici ad eum responsa ac promissa.

ut inter Germanos Gallosque pariter coalesceret, non parum studii ac laboris impensum est. Argentoratum in primis negotium facessebat, quod ab Germania dividi, ac dudum sui juris, Gallico in posterum subjici dominatui, minorum Principum liberarumque Civitatum Legati non assentiebantur; veriti, ne deinceps ad suos manaturum esset exemplum. At cùm eam urbem non amplius remittere, obfirmatum Ludovico Regi foret, & Cæsar majoresque Reguli, id communi provinciæ bono dari posse annuerent, frustra ceteri obnixi sunt, non sine quadam obscura in Cæsarem invidia, quòd ipsi, quicquid permutatione recipiebatur, accederet. Minor deinde contentio fuit de aliis decem nobilioribus Alsatiæ oppidis Hagenoia, Colmaria, Selestadio, Vissemburgo, Oberenheimo, Turichemo, Monasterio in Grægoriana valle, Landavia, Kaisersbergo, Rosheimo, quæ Vesphaliensi pace Gallis in jus idem concessa, quo illic usi antea fuerant Austriaci Principes; id nihil ferre aliud quàm se in Alsatiæ Domini tutela esse; ceterum sua libertate frui & se ad Germaniæ Conventum pertinere, dictis evincere conabantur. Rem olim ad arbitros deductam, nec ita multò post silentio præteritam, nunc iterum judicio subjici postulabant. Sed renuente Ludovico, non tanti visa, ut moram quieti restituendæ faceret,

1697.

Quæ maxime obortę difficultates ad pacem Germanicam reconciliandă.

1697. ret, atque in perpetuum illius dominatum aperte tradita. Denique Lotaringiæ controversiis commode diremptis pax in has præcipue leges pridie kal. Nov., cùm jam exirent induciæ, constituitur. Argentoratum cunctaque Alsatiæ oppida jure bono e Germanico Imperio in Gallorum abeunto. Vicissim Ludovicus Rex Brisacum Friburgumque sibi antea dimissa, Philippoburgum, Keilæque arcem, illud nuper armis subactum, hanc recenter extructam, in Cæsaris potestatem integris munitionibus traducito. Quicquid munitionum in dextra surgat lævaque Rheni ripa, nominatim e regione Huningæ Argentoratique aut in proximis insulis, Gallica pecunia dejiciatur præter arcem Ludovicam medio in ipso flumine, quæ Regi maneat cum ponte ad sinistram ripam apposito. Alibi amnis dissolutis pontonibus expediator. Oppida, vici, ager Metensibus Brisiacensibusque judiciis post constitutam Noviomagi pacem in Galliæ ditionem traducta, sine dolo malo in pristinam Germanorum possessionem referuntor. Catholica tamen Religio, ubi Regis opera sedem acceperit, libera & inviolata servator. Palatinatus in Octoviri sui potestatem redito. Is autem tricena tria scutatorum millia quotannis pendat Carlottæ Aurelianensis Ducis Conjugi pro controversa Philippi Octoviri ejus fratris hæredita-

Quomodo diremptus & quibus conditionibus pax coaluerit.

reditate, quousque adhibitis arbitris, quid 1697.
jus ferat, compertum fuerit. Si arbitri discordent, Pontifex maximus sequester adhibetor. Treviros Vrbem Archiepiscopus Octovir; Bipontinum tractum Sueviæ Rex; Eberemburgum, quod pridie Badensi in deditionem venerat, kirnoburgumque, hæc duo tamen disjectis propugnaculis, Dynastæ, ad quos pertinebant, accipiunto. Traerbachi, Montisque Regalis munitiones ad Mosellam amnem solo æquantor nunquam instaurandæ. Lotharingiæ Dux in aviti possessionem Imperii tandem ito, deletis Nancæi externis operibus, novique oppidi mœnibus, portis tantùm intactis. Rex jure cedat duplicis militaris viæ, quæ Noviomagensibus conditionibus in Galliæ ditionem concessa provinciam scissura erant. Illac autem armatis Gallis iter habere fas esto, dummodo rogata venia, & signa sequentibus. Dux invicem Regi dimittat Ludovicam arcem ad Saravum flumen, Longivumque oppidum cum territorio, alibi accepta paris proventus regione. In hanc ab omnibus Legatis itum sententiam est; nisi quòd aliqui dissentientium ab Catholica Religione hanc ibi manere, unde prius exulaverat, noluissent. Verùm Rex, nunquam non invictus animo, ubi verus Dei cultus tutandus amplificandusque ageretur, exoratus quoque a Pontifice

1697. tifice maximo, rem tenuit. Illi ſcribendo non aſſuerunt, nullo in præſens, aliquo in poſterum ad turbas excitandas animorum motu. Ita poſt atrociſſimum decem pugnatum annos bellum, vix ullo utrinque diriſſimarum calamitatum relato pretio, ſociales compoſitæ Chriſtianorum Principum diſcordiæ. Adeo quies, rerum humanarum ſaluberrima, miſeris Mortalibus ludus eſt, ac parvi ducitur.

Finis Libri Decimi Tertii.

Li-

Liber Decimus Quartus.

QUIES non ubique tamen invaluit, Polonia quotidie magis inteſtinis contentionibus poſt fato functum Joannem Regem laborante. Prima ejus pernicies ex Poloniæ Lithuaniæque exercitu, ad ſtipendia, quibus jamdiu fruſtratus fuerat, petenda conjurato. Excuſſerant in caſtris milites legitima imperia, ſibique Lithuani præfecerant Oginſkium, magnum ſuæ gentis Vexillarium; Poloni Baranouskium, veterem militem, lingua, conſilio, manu tantæ regendæ moli haud imparem. Vivendi rapiendique licentia illecti, frequentiores, quàm in bello, ad ſigna convenerant; graviori proinde vulnere Civium fortunas dilacerabant. Sæpius in provinciarum Conſiliis & in Senatu de iis aut pecunia placandis aut pœna coercendis actum. Sed cùm illa moleſto cogenda tributo eſſet, hanc

1697.

Sarmatia mortuo Rege ab ſuis militibus divexatur.

1697. minitarentur potius quàm decernerent, diu nihil profectum est. Crescente autem, ut fit, audacia, dum non comprimitur, & grassante eò licentius, quò impunè, invalescenti morbo remedia tandem alicubi quæsita sunt.

Quomodo quies restituta.

Ingens Lithuanæ Nobilitatis globus, cui a conjuratis legionibus vastatus ager, in eas, si persisterent militare sacramentum exuere, dato nomine conspiravit. Hoc illæ adductæ metu, delinitæ simul emeriti stipendii parte, consulare Principis Casimiri Joannis Sapiehæ imperium subierunt. Cum Polonis, priusquā in fidem redirent, diutius certatum. Ubi verò Baranouskius eorumdem moderator, tribuni centurionesque audierunt, sibi defectionem vitio dari, & ab inferioris Poloniæ Conventu, ni resipiscerent, aqua & igni interdictum esse, bonaque publicatum iri; pacti, quidpiam corrogari modò in milites pecuniæ, reliquæ fieri spem, Comiti Jablonouskio supremo copiarum præfecto in ditionem se submiserunt. Quamquam utrobique novas in turbas coeundi retentus animus, si se negligi experirentur, aut sibi ex tumultu merces foret; fidem utilitate metientibus. Hæc prior ærumnarum causa.

Qui ejus regni Candidati, quantique ipsorum conatus ad suffragia lucranda.

Longè potentior exarsit altera regiæ dignitatis ambitu. Plures petebant; sed in tres præcipue versa Procerum studia, clam aut palam jamdiu conquisita, quibus obnoxii erant

erant minorum gentium patritii. Aliorum agmen ducebat Regina Ludovica Maria Casimira, clientelis & numerata ad octogies millies Hungaricorum aureorum pecunia, ut fama fuit, sibi conscriptum. Istud Jacobo, ut ajebat, filio comparatum, ad Ferdinandum e Curlandiæ regnante domo, si comitiorum in hunc favor inclinaret, derepente flexuram, non obscurus increbuit rumor dissipavitque, illum ab Lutherana in Catholicam Religionem abire meditantem, & hujus jam seriò explorantem vera dogmata, sibi conjugem despondisse, quocum iterum in solium ascenderet. Non enim virilis animi fœminam, atque imperando assuetam, ferendo fore, ut regnanti submitteret Nurui fasces, nimis jam tum splendido Neoburgensi sanguine amplissimisque affinitatibus se se extollenti. Huc igitur cùm omnes intenderet curas, ægre patiebatur, ad rem obtinendam intercipi sibi viam; incusabatque abbatem Melchiorem, Apolloniaci Vicecomitem, Galliæ Regis Legatum, quod aliqua invidiosa causatus, Procerum plures ab ea distractos in suas partes adduxisset, alios solicitaret. Quamobrem sæpius cum eo per literas suum conquesta dolorem est, ac minitata, perituram ipsi gratiam, quam ab se primùm inierat plurimam; refrixerat autem, postquam ingravescente Joannis

1697.

In quem ope sua tenderet Regina, & quibus artibus

De Gallia Oratore, quòd ejus impediret consilium, conqueritur.

1697. nis Regis valetudine, de successore familiariter colloquuti, sententiis inter se discrepare compererant. Nam Apolloniacensi mandatum fuerat ab Ludovico Rege, ut Francisco Ludovico Borbonio Contiaci Principi, non minus regia stirpe quàm belli & pacis artibus conspicuo, suffragia proximis de creando Rege comitiis conciliaret. Rebatur enim, sua nimis interesse, caput illud potentissimæ Reipublicæ in Galliæ potius quàm in Germaniæ partes propendere. Clam Legatum non erat, Cardinalem Radzieouskium, ob Gnesnensem Archiepiscopatum, cui præerat, Senatus principem, & in quo rei summa non parum idcirco vertebatur, domesticis insidiis patere: hunc proinde isthinc aggressus tenuit adeo, ut quamquam pro Sobiesca domo, unde ipsi cuncta obvenerant fortunæ munera, acerrime solicitatus, nulla unquam machina ab Contiacensi dimoveri potuerit; nec nisi rebus desperatissimis, atque omnia prius molitus, ab eo discesserit. Æmulam deinde, ut inter potentiores, regiæ familiæ Sapieham gentem, totius tum Lithuaniæ amplissimam opibus & magistratibus, Candidato suo facilè obstrinxit; cùm præsertim ab Sobieschis staret Comes Jablonouskius Polonæ militiæ præfectus, a quo Princeps Sapieha pari apud Lithuanos defungens mu-

Galliæ Rex Contiaci Principem Poloniæ Regem creari annititur.

munere, animo ac voluntate diffidebat. Hinc plurimus in Contiacensem favor, principe Senatus magnam Polonorum multitudinem, Sapieha Lithuanorum ad eum adducentibus. Et Apolloniacensis privatis affectionibus publicæ subdebat speciem utilitatis, quò vehementius, veluti ad commune tutandum bonum, exurgerent. Sarmatas, dicebat, ut olim Lacedemonios, mixto vivere Imperii genere, non regiæ voluntati, non populi arbitrio penitus obnoxios. Ipsis proinde eo Rege opus esse, qui obedire simul atque imperare didicerit. Non igitur e privata quapiam domo dominandi imperita, non e regnantium stirpe obsecundandi ignara, assumendum esse, sed e regiis Galliæ Procerum laribus, quippe qui suo in Regem, aliorum in se obsequio utramque illam artem sedulò sunt edocti. Suffragia verò inituris eum sibi maxime proponendum esse, qui, ut cui lege datur armorum imperium, bellica præstet arte; utque unus ille publica defert munera, honores, ac magistratus; expeditus animo, ea virtuti, non amicitiæ aut clientelæ deferat; qua peste felicitas publica non rarò perit. Ex hac norma, si circumferant oculos, competitorum neminem reperturos Borbonio æquanimitate præstantem ac belli scientia, quam non in umbra, & otio, sed in acie ac stre- 1697.

nue

1697. nue pugnando didicisset. Quod autem extraneo remotissimoque hospitium aut necessitudo cum Sarmatis iniri potuit? Nec illud magni quidem momenti silentio prætereundum, quòd Princeps e longinqua Gallia petitus, Polonorum libertati robur addere potentissimi Regis fœdere, insidiari nequaquam valeat. Semel ita inclinatis animis admotus aries, quo uno ea gens expugnatur, dissipata scilicet in aliquos pecunia, reliquis facta mox adventuræ spe. Quocirca nil dubium erat, suffragia, e quatuor unam si demeres partem, omnia in Contiacensem conventura. Tertia vigebat factio, non improvisò, ut vulgò creditum, oborta, verùm jamdiu multo studio atque arte clam composita. Federico Augusto Misniensi Octoviro, vixdum Joannis Regis tentari lethaliter valetudo cœperat, atque ætate ingravescere, principe donari ab Sarmatis loco, in mentem venerat. Obstabat Lutheri sequenti Sectam dissimilitudo religionis. Eo enim sacratis harum gentium legibus, qui catholica veritate non sit initiatus, interdicitur. Verùm ad hanc amplexandam se propendere, luce divina instinctum, non obscuris indiciis duos ante annos, dum Venetiis animi gratia diversaretur, patefecerat; idque Romæ compertum. Prima tantæ rei semina jecit apud Comitem Præbedouskium Culmiæ præfe-

Quo successu.

Misniensis Octovir regni Cãdidatus non improvisò obortus.

Catholicam Religionẽ amplectitur.

fe-

fectum affinem suum Comes Flemingus, Octo- 1697.
viro apprime charus, ejusque inter majores duces militiæ ascriptus. Ille, ut erat sagacissimo ingenio, re caute dissipata tentaverat plurium animos, nec abhorrentes repererat; suboluerátque jam tum reipublicæ curiosis, maximum Germaniæ Regulum ad Sarmaticum solium aspirare; nemo tamen Misniensis, utpote religione diversi consilium, cogitando, assequebatur. In id autem consultò ille se se ostentaverat bellicosæ genti, Hungarico clarus bello, quod proximis duobus annis administraverat, antea quoque arma sequutus in Belgio & apud Rhenum. Mortuo Joanne eò cupidiùs ad rem adiecerat mentem, quòd intelligeret disjectas inter candidatos, atque in diversa trahi Procerum voluntates. Exasperatis enim contentione animis placet quicquid, etsi nihil se juvat, æmulo nocet. Quamobrem fertur, ab exercitu dudum redeuntem, remotis arbitris nudasse Cæsari, quid secum jamdiu volutaret ac suasisse, ut quandoquidem, obnitentibus Gallis, ipsius affinem Jacobum Principem spes deficeret in paternam sedem evectum iri; studia clientelasque suas in virum verteret, qui, si non aliud, Germanus, & experto in Barbaros odio, amore in ipsum Cæsarem esset. Certum illud: principio hujus anni Romam legasse Baronem

Quibus artibus consiliisque ad suffragia obtinenda sit usus.

Cæsarem sibi devincit.

1697. nem Rosam ex intimis amicis, majoribusque armorum præfectis; nec ambigitur, Innocentio Pontifici maximo renuntiatum misisse: se catholicam veritatem diligenter edoctum, ei pridem nomen dedisse; nondum quidem in aperto, quippe hactenus civium tranquillitati consulendum fuisse, cui maximæ rerum mutationes discrimen afferunt. Non diu tamen fore, quin hac insignis tessera in publicum prodeat, veræque Religionis se signa sequutum glorietur. Accepta simul arcani fide, Innocentium Pontificem latère noluisse, viam sibi ad Sarmaticam Regiam clam nec irrita spe sternere. Illum proinde orare atque obtestari, ne iter filio non amplius degeneri, eò contendenti, obsæpiat, quin ipsi potius expediat, utpote acerbo Turcarum hosti, plurimosque exemplo suo Romanis sacris conciliaturo. Hinc Aulæ diligentius abdita perscrutantibus opinio fuit, mandatum occultissimis literis Joanni Antonio Deviæ, Pontificio ad Sarmatas Legato, ne Octoviro, si catholica transgressum in castra percepisset, inter candidatos recepto, aditum ad regnum intersæpiret; in eoque ut in ceteris parem Pontificis maximi voluntatem nullo discrimine ostenderet. Cùm ita ab exteris Octovir se communisset; quæ ad Polonos obtinendos præcipua erant, comparat arma & pecuniam.

Pontificem quoque maximum.

Non

Non enim fine maxima argenti vi eos vinci posse; nec fine tumultu, cui compescendo militibus foret opus, rem confici. Igitur alia causatus, armatorum decem millia conscribi & ad Poloniæ admoveri fines jussit. Pecuniam conflavit, partim mutuatos, partim acceptis a Brunsvicensi Domo centum quinquagies Hungaricorum aureorum millibus, quorum pretio in illam traduxit quicquid in Lavemburgi hæreditatem sibi esse juris arbitrabatur. Idus jam venerant Majæ, ad quas indicta creando Regi Comitia fuerant. Equitum ad centum millia coisse, fama tulit; insigne potentiæ specimen, si Sarmatæ ut viribus, ita & consociatis animis valerent. Nam postquam Regem eligendum viritim, ut ajunt, decretum est, quisque nobilium indigenarum sua signa sequutus tentorium locat apud Tribules suos in circumjacentibus Varsaviæ campis, qui inter quatuor ac triginta, quot Regnum habet Tribus (Palatinatus nuncupant) stativis habendis dividuntur. Mille ab oppido passus area humili aggere secernitur (Colum appellant) quam quotidie comitialibus diebus Senatus occupat. Huic prima cura, sacras obire cæremonias, legationes audire, discutere Candidatorum nomina, oblatas conditiones expendere. Interea privatim unaquælibet Tribus legatos deligit, qui ejus nomi-

1697.
Reliquus ejus apparatus ad obtinenda suffragia.

Sarmatarum Comitia aguntur, ubi, & quomodo.

1697. ne cooptando Regi suffragium ferant, nisi satius habeant, ab Senatus principe, per turmas discurrente, singillatim interrogari; simul omnes Comitiorum moderatorem decernunt. In hoc mandando magistratu luculenter patuit, Contiacensem factionem ceteras longe superare. Illum quippe ejus fautori Comiti Bieliuskio frequentiora suffragia detulerunt; non prius tamen, quàm Comitiorum tempus, quod lege duobus quadragenisque diebus definitur, ad trigesimum processisset. Nam consultò, qui Gallis favebant, rem distulerant, diribendam sibi pecuniam præstolati, quam Apolloniacensis mox affuturam, pro certo affirmabat. Non enim in hujusmodi negotio Sarmatæ promissis fidunt. Quæ fuerit tardandæ causa, incertum. Non siquidem inopia aut negligentia, quarum utraque Ludovico Rege usque adhuc ab Gallis abfuerat. Creditum & ipsos, ut dare anteverterent, parum Sarmatis fidem habuisse. Hinc spes Contiacensi extenuari, mox labi cœpit. Hoc rerum statu, cùm jam maturum putasset, Flemingus ad Comitia venit. Statim divulgare aggreditur, Misniensem Octovirum ejuratis Lutheri placitis ad Catholicorum sententiam se se adscripsisse, regnique Candidatum finitimæ Sarmatarum genti se proponere. In eum illico non pauci a Prebendouskio Culmiæ præ-

Octovir Misniensis Candidatum se profitetur.

præfecto clam solicitati consensere. Auxit non ita multo post agmen suis clientelis Regina Ludovica Maria Casimira, quæ desperata adversùs Apolloniacensem victoria, horrebat ab æmulo adductum Regem. Quamobrem cùm convenisset, ut ab Octoviro tantum sibi rediret pecuniæ, quantum ipsa in clientes dispersérat, in ejus partes ingenti ope concessit; sæpius deinde conquesta, quòd ita sibi de Rege meritæ promissi argenti fides non solveretur. Ejus exemplum, quo nihil potentius ad flectendos animos, ubi adhuc ancipites, imitati Comes Stanislaus Iablonouskius Poloni exercitus ductor, quique ab eo secundus, Fœlix Potoskius Cracoviæ prætor, Joseph itidem Sluska eodem instructus munere apud Lithuanos & Vilnæ præses, Stanislaus Dabskius Uladislaviæ antistes ad Octovirum transierunt. Aliquot Austriacæ domui benevolentia aut beneficiis obstrictos adiecit Lambergus Passaviæ Episcopus Cæsaris legatus. Plures ei demum conciliavit, & Contiacensi eripuit præsens Misniensis pecunia, ambiguæ Gallorum prælata. Legitimum Comitiorum tempus in exitu erat, jamque sæpius magnis contentionibus certatum in Senatu fuerat, cujus eligendi auctor ipse fieret, & a Senatus principe Comitiis proponeretur. Quamquam enim secessionibus vehementer debilitata Gallici Principis factio, suf- 1697.

Quot qualesque in ejus partes concedunt.

1697. fragiis in Competitorem obniti haud amplius posset; jure obsistebat, inclamabatque, nomen non accipiendum profitentis publice ab Romana dissidentem religionem, cui lege interdictum foret Sarmatico diademate. Dispergi quidem per vulgus hominum, postridie Kal. Jun., dum anniversario solenni festo divinæ Triadis Mysterium recoleretur, pristino errore abjudicato, illum, catholica se profiteri dogmata apud Arrabonis Antistitem cognatum suum, jurejurando affirmasse. Non alium tamen tantæ rei auctorem proferri ac Flemingum hominem Calvinianum, cui non facilè acquiescendum esse; cùm præsertim nullum Octovir mutatæ religionis specimen dederit? Postremus adventabat Comitiorum dies V. Kal. Quintiles, patebatque in summa, ut fit, animorum dissensione nihil ordine riteque gestum iri. Itaque Cardinalis Radzieiouschius adversam factionem prævertendam ratus, præoccupandosque re utcumque gesta civium animos (quod sæpe saluti fuit), cùm pridie postmeridianum tempus jam prope altercationibus traductum foret, facta sibi a Comitiorum moderatore, ut moris est, promulgandi Regis potestate, Franciscum Ludovicum Borbonium Regem dixit, dictoque plauserunt quotquot in ea erant sententia, astabantque ponè Senatum legati; quibus ille secum

Quid Misnienſi opponebatur

Contiacensis plurium suffragiis rex eligitur, & a Senatus principe pronuntiatur.

ſecum adductis, confeſtim Varſaviam rediit; 1697.
iis pariter comitatus, qui ex instructa in Comitiorum conſpectu acie, ei de Gallico Principe aſſentiebantur. Nec mora diſcurſum ad oppidi præcipuum Templum D. Joanni ſacrum, actæque Deo maximo grates. Ad inopinatum eventum exarſerat pars Senatorum Legatorumqne major, diſſenſeratque ingenti ſtrepitu. Dein primores conferre capita, & quo remedio publica ſalus tutanda foret, conſulere. Placuit conſilium Uladiſlaviæ Epiſcopi, qui primus poſt Gneſnenſem in Senatu ſententiam rogabatur. Is, quod evenerat, jam ante conſpicatus animo; quo pacto rem explicandam ſibi propoſuerat, in medium attulit, ſic ad dicendum exorſus. Maximum Sarmaticæ libertati ab Cardinale Radzieiouskio vulnus dudum illatum, violatam Comitiorum majeſtatem, ſacratas regni leges audacter peſſundatas nemo noſtrûm non videt, non queritur, non deteſtatur. Quapropter otioſi hominis, & Reipublicæ injuriam inutili queſtu lamentantis potius quàm ulciſcentis eſſet, illam argumentis in apertum educere, horridaque ejus ſpecie ad inflammandos animos uti. Leviora mala verbis leniuntur; acerba ſilent, ac remedia meditantur; quorum illud præſentiſſimum, ſi malum ipſum ad ſalutem flectas. Quod nobis utique in prom-

Pars major repugnat.

Uladiſlaviæ Antiſtiti de alio creando Rege aſſentitur.

Ejus oratio.

1697. promptu est. Provincialium Legatorum pars longe minor Regem sibi ascivit, nequaquam tot adversantium vocibus conterrita. Cur idem majori parti non liceat? Potuit illa confracto jure tantum audere facinus. Et nos, eo servato, principem mandare locum non poterimus? cùm præsertim si armorum præsidium legibus quærendum fuerit, supremi Poloni exercitus duces, ac Lithuani alter, præcipuique magistratus in eadem nobiscum & causa & sententia sint. At plures e Comitio discesserunt? Abest Archiepiscopus Gnesnensis Senatus princeps, qui de republica referat? suffragiorum moderator, reique gerendæ auctor se subripuit? sanandum ne novo vulnere vulnus est? Primùm dico: sua sponte leges, ubi semel vi agi cœptum, dissolvi; nec ipsarum obsequio, dum ab aliis non audiuntur, deserendam civium salutem. Deinde nihil a nobis adversùs legem tentandum esse, quæ jubet, Senatus Principis, cùm is Conventui non adest, munere defungi, quicumque ei dignitate in Conventu sit proximus; nec si aliqui volentes recedant, infringi Comitia. In moderatorem verò confestim cooptari posse, qui superiori concilio moderatus fuit. Rem denique a Majorum institutis abhorrentem, atque exemplo destitutam confectum iri, nemo arbitretur. Centum siquidem viginti duos ante annos Henrico Valesio

lesio Rege nostro post Caroli fratris mortem 1697.
in Galliam reduce, indictis tum quoque viritim Comitiis, in duasque discisso partes equestri Ordine, Jacobus Vchauskius Gnesnæ Præsul, primumque in Senatu obtinens locum, nonnullorum assensu Maximilianum Cæsarem; Uladislaviæ Antistes, cujus nunc me successorem videtis, reliquorum plausu Stephanum Bathorium, Transilvaniæ Principem, pronuntiarunt Sarmatiæ Regem; isque Cracoviam portas aperientem ingressus, ac solenni pompa inauguratus, æmulo excluso, regnavit. Cùm igitur idem Respublica a nobis postulet, idem suadeat jus fasque & mos Majorum, ite in suffragium Superis bene juvantibus, & cujus ego cooptandi Regis auctor ero, vos illum Regem esse jubete. Postremæ voces magnis acclamationibus exceptæ sunt, in ejusque sententiam discessum. Patebat in Octovirum Misniensem quicquid Legatorum in campo manserat, conventurum. Verùm cùm sol decederet, diei tempus ad rem pro dignitate gerendam non suffecturum, visum est. In crastinum dilata, postridie mane cùm Senatores in Comitio jam sederent, astarentque ponè subsellia Legati, circumjectaque foret equitum acies; promulgandæ rogationi quidpiam injectum moræ; paucis, an vera & ex animo Octovir de religione sentiret, adhuc soli-

Novi Regis designatio in crastinum indicitur.

1697. solicitis. Illum in Romanæ leges Ecclesiæ conceptis verbis jurasse, falsis exutum opinionibus, Arrabonis Antistes publico documento consignaverat, quod ejus manu subscriptum Flemingus expendendum attulerat Pontificis maximi Legato, rogaveratque, ut (quod a Cæsaris Oratore jam gestum fuerat) Arrabonensis diplomati fidem & ipse adderet testimonio suo, secumque retineret insigne certissimumque tantæ rei monumentum, posteritati commendandum. Quocirca Legatus verum illud germanumque compertum in Tabulario asservari pervulgarique jusserat. Id quamquam per hominum ora pervagatum, non tamen apud omnes falsi suspicionem dimoverat, adversæ factionis studio. Visum proinde, Legatum ipsum quid in tanti momenti re certi foret, percunctatum mittere. Hic, ut se subtraheret contentionibus, quorum jacta jam semina, quibusque se nulla ex parte immiscere vellet, multo mane Viasdovam quarto a Varsavia lapide ad Abbatem quemdam Cisterciensis Ordinis ibi casu diversantem, se contulerat, cum eo diem in apricis ad Vistulam hortis traducturus, remiseratque rhedam cum Canonico Varmiensi Ludovico Fantonio, qui aulæ officiis moderabatur. Is advenientibus e Comitio fortè fit obviam, rogatusque de Legato; quò illum duxisset, edocuit; ibi ne amplius mane-

Aliqua adversus Misniensem oborta difficultas.

Quomodo dirempta.

maneret, an longius processisset, se latère. Eò statim citatis equis progressi, deambulantem reperiunt, audiuntque, publice patère quicquid in hujusmodi negotio, veritati obsequutus, peregisset, & nihil non ordine non rite gestum. Satis id fuit ad conciliandos Octoviro dubios animos. Itaque omnium, qui aderant in Comitio, Legatorum voce Rex conclamatur, plausumque statim reddidit directa coram equitum acies. Inde simul Varsaviam profecti, aditoque ipsi pariter templo, quod illic D. Joanni sacrum est, Deum O. M. de creato ab se Rege, peractisque Comitiis venerati sunt. Nec mora Flemingus eò vocatus Octoviri fidem jurejurando obstrinxit, quicquid ejus nomine pepigerat, servatum iri. Præcipua fuere capita: Catholicam Religionem sartam tectam per omnes Sarmatici Imperii provincias habiturum; Reipublicæ munera non gratiæ non familiaritati non pretio daturum; quingenta Hungaricorum aureorum millia militibus in emerita stipendia erogaturum; sex Saxonum millibus ære suo conductis Sarmatarum exercitum ad recuperandum Camenæcum aucturum. Hæc præsente sacrosancto divini Servatoris Corpore, quod in sanctissimæ Eucharistiæ Mysterio adorandum publice exhibitum fuerat, a Calvinianæ Sectæ Viro veluti religionis ludibrio gesta, sermo-

1697.

Octovir Rex creatur.

Quibus conditionibus.

1697. nem præbuerunt. Sed habuere perturbatæ Reipublicæ, quæ omnium occupaverat animos, excusationem. Sub noctem Varsaviam regressum Pontificis maximi Legatum Apolloniacensis convenit, querelasque interposuit, quòd non expectato de mutata ab Octoviro circa res divinas sententia Romano judicio, suum protulisset, unde Sarmatia in civiles discordias maximasque calamitates adducenda foret. Ille perpenso probatoque Arrabonis Episcopi documento certus, Misniensem ab erroris caligine in veri lucem transgressum, ac simul conscius, quid mandatum sibi Roma fuisset, modeste retulit, nihil ab se factum, quod non esset Pontifici maximo probaturus. Nec ita multo post Varsavia discedens, ac longius pervagatus, extra turbarum culpam aleamque se posuit. Eæ quidem ingentes invaluerunt. Principiò exhorrescentibus, ut fit, ad imminentium ærumnarum conspectum animis, a Barone Overbekio Brandeburgensi Legato tentata concordia est, pluresque ex utraque parte in colloquium venerunt. At Contiacensis fautoribus, ut vicissim rescinderetur quicquid hactenus peractum fuerat, postulantibus, repulsam dederunt, qui longe numero, & auctoritate validiores ab Octoviro stabant, ad eumque post dimissum cœtum ingenti pompa Legatos cum delatæ regiæ dignitatis diplo-

Ob duplicem Regis electionem ingentes in Sarmatia turbæ.

Quas componere, frustra tentatum.

plomate oratum miserunt, ut venire ad tantum munus publice ineundum non cunctaretur. Ille audito Comitiorum exitu Termovitium ad Poloniæ fines jam processerat, ibique legatos excepit, quorum princeps Voliniæ Palatinus Jablonouski supremi copiarum præfecti filius in hanc prope sententiam loquutus, dixit: Rempublicam, inclytæ armorum gloria suæ Genti pari decore Caput dare cupientem, ipsi regium nomen atque auctoritatem detulisse, quem sciret viridi adhuc ætate rebus in bello fortiter gestis illustria Majorum facinora æmulatum, splendidiora promittere, quibus esset sui famam, novorum civium felicitatem, Imperii fines amplificaturus. Eòque lubentius, veluti redderet beneficii vicem, detulisse, quòd regale diadema, ut apud populares suos fama erat, tertio Othoni, e regnatrice Misnienſium Familia Cæsari, acceptum referret. Frueretur igitur dono Majorum suorum meritis conciliato, suis virtutibus parto, ac lætis auspiciis in Regiam ascenderet non sibi reclusam sanguinis jure, sed populorum voluntate; simulque memor: fortunæ munera grato animo non indigere; virtutis, maxime; hæc data scilicet consilio, illa casu; Rempublicam eodem studio, quo in ejus sinum confugisset, complecteretur; afflictam erigeret, labantem sustineret. Legatis Flemingus

1697.

Solennis Legatio Augustum in Regiam invitat.

Unius Legatorum Oratio

Augusti Regis responsio.

1697. gus respondere jussus, Octovirum dixit Sarmatici Imperii principe donari loco, seu regiam dignitatem, seu clarissimam gentem, a qua deferatur, ob oculos habeat, adeo sibi gloriosum reputare, ut nihil huic decori anteponat. Cupere illud virtutibus meruisse, quas de se prædicent. Sin minus, cùm modò exploratum habeat, quibus comparatum velint, daturum operam ne se deficiant. Irent, Senatui renuntiarent, se libenter tantum munus accipere, non ut otiose utatur, sed ut ejus consilia sequutus, ac strenue rem gerendo, se bellicosæ nationi non imparem ducem præbeat, ratus ad famam nominis pertinere tantum de se factum judicium; sed nihil magis, quàm commotam expectationem facinorum gloria sustinuisse. Dein convivio magnificisque donis exceptos non prius dimisit, quàm pactas a Flemingo conditiones jurejurando postridie iterum roborasset, ac præsens *Pacta conventa confirmat.* factæ Catholico ritu Rei sacræ divinoque Sacrificio, sui in veram traducti religionem animi documentum attulisset. Paucos post dies ingenti militum globo comitatus, Proceribus *Cracoviam pergit.* obviam effusis, Cracoviam venit; quam, iisdem postulantibus, valido suorum præsidio firmavit, veritis ne illinc ab adversa factione regale diadema, ceteraque supremæ potestatis Insignia, repentina irruptione, abducerentur.

Nam

Nam iis dumtaxat, veluti vetustatis memoria 1697.
consecratis, suos inaugurare Sarmatis Reges solenne est. Nec a suspicione res aberat. Cùm enim præoccupata huiusmodi cæremoniis opinio plurimùm valeat ad moderandas hominum voluntates; qui Contiacensis fovebant partes, ut ne rite Octovir inaugurari posset, omnem se daturos operam profitebantur. Quin & idcirco VII. Kal. Sept. invitante Senatus principe in Comitiorum convenerant locum, ubi ille præfatus desperatam Reipublicę salutem, ni citò & magnis animis ad eam restituendam insurgerent, proposuit primùm mandatam Borbonio regiam dignitatem iteratis suffragiis confirmandam. Cunctis deinde, quibus Catholica Religio, acceptaque a Majoribus patriæ libertas cara essent, in perturbatores dato nomine conjurandum obligandamque fidem, se ab armis non discessuros, nisi hoc sanato legum vulnere, Borbonioque in solium adducto. In utramque illico sententiam itum, paucis, qui ad turbanda Comitia contradicere aggrediebântur, districto ense deterritis aut sauciatis. Conjurationis cum delecto Consilio moderator eligitur Humiekus in Podolia ab regiis poculis; conjurati exercitus idem, qui Lithuanæ militiæ ductor, Princeps Sapieha. Spes iis erat, objecto turbarum metu quidpiam hæsitationis Octoviro inau-

Adversa factio reconciliandi animos conditiones proponit.

Comitia celebrat.

Contiacensi rursus obstringitur.

Civilem militaresque duces sibi præficit.

1697. inaugurando illatum iri; atque interim Contiacensem affuturum, quo præsente, si nondum validissima illa ad captandos animos cæremonia præjudicatæ res forent, suarum partium vires facilè instaurari posse. Etenim Cardinalis Radzieiouskius, Sapieha, & Lubomirskia Domus, pluresque optimatium in officio manebant, nec deerant minorum gentium equites, qui spem largioris pecuniæ sequuti, adversus Octovirum se se obfirmarent, iisque alii non parvo numero, illecti præsenti pecunia, si tandem numeraretur, accessuri videbantur. Cùm nihil minitando assequerentur, tentatum an blandiendo moram injicerent. In A. D. VI. Kal. Octobr conventum indicunt, præoccupantque in vulgus dissipare, se se ad unum de Misniensi cum ceteris conventuros, dum tamen celebratis iterum Comitiis, ejus cooptandi Senatus, more Majorum, auctor fieret, & ab Senatus principe nuncuparetur. Quæsita his artibus mora, quò tenderet, satis patebat. Igitur qui eum Regem creaverant, non ultra Idus Septembr., qui dies accipiendis Insignibus Imperii decretus fuerat, procrastinandum rati, Cracoviæ coiere. Jam enim se adeo corroboraverant, ut rem in vado esse, nec unquam turbari posse arbitrarentur. Siquidem & Polonus exercitus stipendio quadrimestri donatus, fa-

Arte, ac promissis moram captant, sed frustra.

Exercitus, pluresque Procerum in Augusti partes concedunt.

ctaque reliqui spe, sacramentum Octoviro dixerat; & quotidie Procerum aliquis præmio aut blandiente illi fortuna conciliatus in ejusdem partes concedebat. Auctæ quoque per hos dies Misnienses copiæ circa oppidum aciem direxerant, & quæ ejusdem gentis in Hungaria Cæsari ad octo millia merebant, accesserant ad Regni fines Comite Trautmansdorfio duce, ne vis ulla in discrimen adduceret inaugurandi Regis cæremoniam. Hanc magnificentissima & plane regalis pompa nobilitavit, Augusto Rege, quo solo nomine dici voluit, avitas opes splendoremque ostentante. Quo sane spectaculo plurimum Sarmatæ hilarati sunt; seu crederent, Principem jam saturatum fortunæ bonis haud amplius publico privatoque damno explendum esse; seu in se multum ex illa opulentia derivatum iri. Quæ dum isthic geruntur, Contiaci Princeps classem conscendens sex bellicarum humiliorum navium, quas ei dederat Rex Ludovicus equite Bartho duce, Dunquerqua in Balthicum solverat. Diu anceps ad iter fuerat, prospectans, durum & impari conditione sibi certamen cum æmulo potentissimo subeundum esse; qui, utcumque vel in æquas partes Sarmatæ discissi forent, astipulatoribus suis tantum finitimi Imperii viribus additurus momenti esset, ut nemo obniti posse reputaretur.

1697.

Isque ingenti pompa Rex inauguratur.

Contiacensis cum Ludovico Rege deliberat, an de Poloniæ Regno cum æmulo contendat.

Præ-

1697. Præterquamquod ita natura comparatum videri, ut quò semel inclinat fortuna, eò cæco impetu cuncti ruant. Nec minus dubio fluctuaverat animo, quòd ille prior provinciam ingressus, ut facilè re præsenti vulgus impellitur, præoccupaturus esset popularium voluntates; quorum, qualiscumque rerum potiatur, dummodo teneant privatum otium, parum interest. Cesserat autem Cardinali Radzieiouskio atque Apolloniacensi Legato frequenter per literas adhortantibus, ut omnem abrumperet moram; tot Procerum, tantæque suarum partium multitudinis in conspectum veniret, expleretque desiderium, ne cunctando aut negligendo, ut fit, relinqueretur sibi faventium ardor. Magnos pro ipsius causa cieri motus, Lithuaniam in armis esse, atque undique de ipsius adventu plures scitatum venire; quo adversæ partis elatos animos deprimendos non dubitarent. Res cum Ludovico Rege sermonibus agitata eò tandem verterat, ut reputarent, non minus inconsulti animi esse, vocanti fortunæ nimium credere; ac inopis atque imbecilli, ne aures quidem ei præbere. Ingens facinus audacia incipere, prudentia crescere, strenuitate ad exitum pervenire. Cùm deliberanti pensandum sit, quid ex utraque parte boni aut mali evenire queat; id modò occurrere; hinc, si bene

Quæ habuit deliberandi argumenta.

Suæ factionis promissis illectus ire in Sarmatiam decernit.

Quibus aliis rationibus in hanc sententiam inducit animum.

ne cœptis succedat, regnum; illinc, si male quidpiam, ab æmulis risus, ab otiosis loquacitatis; quæ quidem non pari pondere librari; æque verò magnanimis viris, illud si spernant, hæc si curent, vitio verti. Itaque Borbonius, Hungaricis ad quingenties millies nummis aureis, & aliquo belli apparatu secum adductis, vela in Balthicum dedit tenuitque sub exitum septembris prope Olivæ Cœnobium Borussiæ litus, Gedani portu, cùm jam Cives Augusto Regi fidem suam astrinxissent, prohibitus. Statim ad illum Procerum plures magna pollicentes comiterque, ut descenderet, invitantes. Cùm Regis titulo salutaretur, abnuit, fatus illum non acceptu-rum, nisi paribus ad retinendum viribus fultum. Rogati, quid istarum collegissent, maximas dixere, sed afferendis numerata pecunia opus esse, quam quisque obtinere connitebatur. Ille præsenti militi non defuram promittere; ejus quoque summam largiter cum potentiorrbus pacisci, quos inter cum supremo Lithuani exercitus duce Sapieha Hungaricos aureos ad quinquagies millies; ceterum mussitare, se spem non emere. Quidpiam turmis aliquot, quæ jam aderant, distributum. His Mariæburgum, quod unum Borussiæ oppidum cum paucis circa vicis in potestate habuit, firmari jussit, eòque, quicquid militum con-

1697.

Collecta pecunia, & aliquo bellico apparatu Classem conscendit.

In Gedanum litus descendenti Procerum plures occurrunt.

Abnuit Regis titulum, priusquam ei sustinendo se parem noscat.

Pecuniam nisi præsenti militi dare negat.

1697. scriptum foret, convenire. Intereà publice dispersis literis ad se se allicere popularium animos; tarde molientes urgere; sæpius apud Olivæ Cœnobium interdiu consilia de re feliciter explicanda cum Proceribus agitare, noctu ad naves se referre; secretò admonitus, ut fama fuit, non paucos ibi diversari, quorum fides e fortuna sperataque pecunia penderet. October jam senescebat, & rari manipuli advenerant. Contiacensis angebatur, cupidus, priusquam hyems appeteret, periclitandi justo exercitu, quid bellica virtute posset. Hortari proinde potentiorum quemlibet ut, agendo potius quàm consultando Rempublicam amplexarentur, legiones adducerent, & quas dicerent paratas habere, se duce opponerent adversæ factioni, ac meminissent: civiles discordias non otio, sed armis comprimi. Parum proficiebat, nam lenti Sarmatæ, ni pecunia ad rem gerendam exacuantur. Postremus advenit magnus Lithuaniæ Judex (Marescallum vocant) supremi copiarum præfecti filius, adduxitque quadringentum equitum turmam. Qua visa Contiacensis (nam illinc præcipua auxiliorum promissa) vehementer exarsit, cùm præsertim eo renuntiante intelligeret, sex haud amplius ejus gentis millia itineri ad opem ferendam se commisisse, nec viam properare posse argenti inopia. Et hoc, inquit, subita-

Copias urget ad se conveni-re.

Indignatus, quòd vix aliqua turmæ advenissent, id Sarmatis exprobat.

sii

rii militis numero veteranus multoque frequentior Misnienſium exercitus vincendus erit? Et hisce fulciendum copiis ad veſtræReipublicæ tutelam me accerſiſtis? Patebat tamen, ſi paullum, qui ejus auſpicia ſequebantur, inſtigarentur præmio, ingenti agmine coalituros. Verùm Auguſtus Rex antevertit. Nam ubi primùm compertum habuit, ad Contiacenſem concurſus fieri, magnoſque in provinciis, in Lithuania præſertim, animorum motus; priuſquam globus augeſceret, diſſipandum ſtatuit. Sex Saxonum millia, quæ circa ſe in ſtativis habebat, in eam educere expeditionem Brandum & Flemingum legatos juſſit. Brandus prior citatis equis ad Olivæ Cœnobium pervenit inopinatus adeo, ut, qui præſidio illic erant, incurioſos oppreſſerit, aliquot necatis, ducentis captis, abacta præda. Reliqui Stamum, valido munitum præſidio (duo a Mariæburgo diſtat paſſuum millia) circumſidentes, voluntaria deditione in jus poteſtatemque habuerunt; ſuſpecta ob intempeſtivam tradendi oppidi celeritatem præfectorum fide. Hæc Borbonio, ut ne amplius ſuum in Galliam reditum moraretur, ſuaſerunt. Non enim e ſua eſſe dignitate arbitratus eſt, inter ambiguam gentem, & vix quidquam præter titulos deferentem, inani diutius regnandi lactari ſpe. Itaque poſtridie Non. Nov. in Galliam

1697.

Adverſus illam Misnienſes movent.

Diſſipant quicquid militum ad Contiacenſem convenerat.

Iſque in Galliam redit.

1697. liam proras direxit, sæpius effatus: semel se erraſſe, opinatum e nonnullorum firmitate & conſtantia parem ceterorum erga se voluntatem. Iterum in errorem non incidiſſe, diſſipata in incertum pecunia; nam venales animos rarò fidos. Ejus diſceſſu quamplurimi ad Regem confugerunt. Mariæburgum portas aperuit Dzinlenskii regiæ domus præfecti studio, qui prius oppidum arcemque in Borbonii poteſtate retinuerat. Exercitus Lithuanus accepto quadrimeſtri ſtipendio in ejus partes conceſſit. Has quoque ſequutus Sapieha ſupremi Ducis filius cum equitum turma dudum ad Contiacenſem adducta, patri proluſit, qui non ita multo poſt honeſtis conditionibus Regi fidem ſuam obſtrinxit; ut paullo ante univerſa Lubomirskiorum familia. Cardinalis Radzieiouskius, & quicquid reliquum Contiacenſis factionis, de reconcilianda gratia (quod inſequenti anno contigit) cogitare. His tot tantiſque malis conflictata Reſpublica extremum diſcrimen adiiſſet, ſi ad inteſtinos tumultus externus quoque impetus ad eam impellendam acceſſiſſet. Verùm forte fortuna, quieſcentibus ad ejus fines hoc anno Turcis, ac Scythis aliò diſtractis, nihil iſthinc ærumnarum adiectum. Utroſque major Moſchi & Hungarici belli, ut Sarmatico libenter abſtinerent, inceſſerat cura; non fruſtra

Hinc plures ad Auguſtum Regem tranſgreſſi.

Reliqui adverſæ factionis idem cogitant.

ſtra

ſtra ratos, ampliorem in ſe apparatum validioreſque vires exertum iri, cùm ad ſacrum fœdus per hyemem acceſſiſſet Petrus, magnus albæ Ruſſiæ Dux, iis conditionibus, ut quiſque Fœderatorum communem hoſtem pro virili parte urgeret, nec per triennium niſi omnium aſſenſu, aut ſaltem re condicta, pacem pangeret. Nam antea Sarmatis tantùm conſociatus, minori famæ ſtrepitu armis illum divexaverat. Quocirca Muſtaphus Rex vehementius intenderat animum ut ubique aucto exercitu eluderet hoſtium induſtriam, cumularetque ſibi partum ſuperiori anno militaris gloriæ decus ac nomen. Nec defuit illi conſilium, pecunia, miles; ad hæc duo inexhauſto ampliſſimo Imperio, ni deſit populorum voluntas; quam ſibi novus Princeps bellicæ virtutis ac felicitatis laude conciliaverat. Additæ igitur ad Jonii claſſem aliquot naves; aucta adversùs Moſchos circa pontum Euxinum præſidia; juſſaque in eam partem invigilare Scytharum pars, ceteri in Hungariam ire. In hanc enim præcipua Muſtaphi vertebat cura. Danubiana proinde claſſis ad ſexdecim triremes, triginta lembos, ſex ac ſexaginta cymbas; exercitus ibi ad octoginta fere millia varii nominis armatorum ab eo ſuppletus. Omnes denique a Tehelio, veluti ad ultimum ferocientis animi experimentum, adhi-

1697.

Moſchi ad ſacrū fœdus accedunt, & quibus conditionibus.

Turcarum ad proſequendum bellum apparatus.

1697. *TebeliusHungaros ad rebellandum solicitat.* adhibitæ ad ciendos popularium tumultus machinæ; clam ad clientes, procerumque potentissimos dimissis literis, quibus pro Patriæ salute, pro civium libertate ad arma capienda muniendamque suis liberatoribus viam, indicta rei gerendæ norma, solicitarentur. Id, nisi ubi fulmen increpuit, ignotum Cæsari. *Cæsar sedulò ad bellum se comparat.* Impiger tamen solertissimo studio ad obnitendum se comparaverat, gnarus Turcas, extrema conari; & nunquam ab Hispaniensi hæreditate deijciens oculos, cui adeundæ Barbarico expediri bello sibi foret opus; expediri verò nequiret, nisi fractis pugna aut insigni aliquo facinore hostium viribus. Igitur contractis, undecumque licuit, copiis ad quinque supra quadragena Germanorum millia, præter Hungaricas aliquot legiones & classem non invalidam, quamquam Turcica minorem, iis obiecit. De supremo duce eligendo anceps fuit, excusante Caprara provectam ætatem infirmamque valetudinem. *Principem Eugenium ei bello præficit.* Postremò in Principem Eugenium e regnatrice Allobrogum familia mentem defixit. Priusquam dispersæ ad hyemandum legiones in unum coirent, quæ pars in Croatia hibernaverat cum valida provincialium manu Bihatium, non ignobilem ad Unnam fluvium arcem, oppugnatum pergit Comitis Caroli Aversbergi ductu. Quippe quæ in finibus posita, vici-

viciniæ multum incommodabat .. Spes erat, levi negotio in deditionem redactum iri, commeatibus ac milite, sic enim acceperant, non satis instructam. Sed spes & nuntius infelici eventu mendaces reperti. Præsidio ibi erant mille pedites legionarii, sexcenti equites, pluresque oppidanorum armis idonei. Junio ineunte quindecim millia Germanorum Croatorumque mixto genere se mœnibus admoverunt, quæ duobus propugnaculis, intermediaque turri, ac fossa, Unnæ aquis oppleta, faciebant præsidiariis animos ad vim propulsandam. Præfectus primùm ad deditionem solicitatus, literis non resignatis superbum responsum dedit. Actæ proinde vineæ, dispositæ murales machinæ, apertus ad irrumpendum aditus, æquataque ruderibus fossa. Nec mora inductum ab oppugnatoribus agmen, quod ingenti conatu illataque cæde Turcæ repulerunt. Facto aliquot dierum spatio, quo latius discissa fuerunt mœnia, redintegratus ad perrumpendum impetus, repressusque pari ferocia metum Germanis injecit, ne oppidum nimio temporis ac virium dispendio superandum foret; quin & periculo subijcienda omnium salus. Nam Bosniæ Prætor populares ad signa vocaverat, novemque collegerat armatorum millia, ad opem obsessis ferendam, ubi agmen auxisset, perrecturus. Jam quoque transda-

1697.

Germani Bibatium invadunt.

Mox deserunt.

1697. danubianam Hungariam perduelles a Tehelio concitati tumultu ac ruinis implebant; eòque & adversus properantem Mustaphum Regem vertendum erat legionum robur. Itaque ergo collectis vasis a Bihatio discessum est, acceleratumque ad Petri Varadinum iter; quò dies indicta ad conveniendum fuerat, cùm præsertim aliis aliò distractis legionibus, ne statim in viam se compararent, cunctandum foret. Octo siquidem, quæ in Transilvania hiberna traduxerant, metu ne illac Thraces irrumperent, pervios in Valachiam saltus obsidere jussæ, & aliquæ in superiorem Hungariam traductæ ad novos compescendos tumultus, ne mora increbrescerent.

Seditio in Hungaria recrudescit.

Repente oborti magnam initiò, ut in obscura adhuc re, solicitudinem injecere. Ad quatuor millia hominum coaluerant Francisco Tokaio duce, ausa tandem in apertum prodire, cùm hactenus occultò incendiis desævissent, eoque in primis detrimentoso, quo ingentem absumpserant commeatuum vim Segeduni contractam ad exercitus alimentum,

Unde non parum detrimenti:

Et aliquot a Perduellibus occupata oppida.

Improvisò Kallum, Patakum munita oppida, sed infrequentibus, ut in minime suspecto loco, præsidiis, adorti, brevi conatu in potestatem habuere. Illinc popularibus, ni secum arma caperent, ferocius minitati, exequutique minas adversus torpidos aut quiescentes

tes

tes, latius incendia, Zolnoco exusto, vim terroremque diffundebant. At celeriter compressi, exurgentibus undique ad extinguendam invalescentem flammam Germanorum vicinis legionibus, & aliquot Hungarorum, quorum non dubia fides. Primus in validam perduellium manum, quam Tokaius ad Onothum invadendum ducebat, Rintscaus Instructor exercitus, Paulusque Diakus Tribunus militum incurrit. Commissa pugna duas horas acriter pugnata est. Cessere denique perduelles magna imminuti cæde, cùm ad mille occubuissent, paucis ex adverso interemptis. Reliquiæ trans Tybiscum amnem fuga hosti se subduxerunt. Ibi Tokaius a suis proditus in Germanorum ditionem venit. Ceteri accepta domum remeandi venia se dissiparunt. Interea Carolus Thomas Valdemontii Princeps Tokæum adduxerat agmen alterum, vocatisque Rebellibus ad deditionem, cùm ferociam ostentarent, oppidum corona cinctum vi cæpit, ferro obtruncatis quotquot in arcem se subripiendi tempus defuit; ceteris illinc noctu per aversam portam in propinquos montes clam dilapsis. Patakum progressus priusquam mœnibus succederet, desertum a seditiosorum præsidio, cives dedentes oppidum obviam habuit. Pauci, qui cum illis sensisse delati sunt, ad retinendam aliorum fidem palo infixi.

1697.

Germani relata de ipsis victoria tumultum comprimunt.

Recuperantque omnia fere amissa loca.

1697. Kallum, quin illico portas aperiret, moræ nihil fecit. Reliquum erat Monkatium, valida palustri situ atque operibus, arx ad alendasque turbas, ut initio hujus belli evenerat, peridonea. Istud paullo ante furtim aut dolo subreptum in factiosorum potestatem redierat, dimissis Principe Ragotio ejusque uxore, illic in suæ ditionis oppido commorantibus. Diligentius custodiebatur, admonente aliarum urbium infortunio. E re proinde Germanis visum est, cùm non ita facilè expugnari posset, ab eo tentando abstinere. Nec intra confragosos montes quæsitæ ultra rebellantium latebræ. Nam diuturni fuisset operis; & Mustaphum Regem, Albam græcam jam progressum, compescere, cunctis objectis copiis opus erat. Itaque dispositæ per ea loca Germanorum legiones, firmatis aliquo præsidio nobilioribus oppidis, admonitisque popularibus, ne damno suo novis turbis se se immiscerent; quin & ubi sine magno earum motu fieri licuit, ademptis armis, ne ad res novandas fomentum darent; maturatis itineribus ad consularem exercitum se se adjunxerunt; incertæ, an se se digressis, tumultus per occasionem iterum effervesceret. Verùm major, ut fit, a Mustapho metus minorem vicit; cùm præsertim Procerum nemo inconditæ multitudini se nondum pa-

Non tamen Monkatium, omnium illic præcipuum.

lam

lam aſcripſiſſet; moderatione an prudentia incertam fortunam prius non ſubeundi, quàm ſeditio ſe confirmaſſet. Æſtas proceſſerat, cùm utrinque exercitus in apertum prodiere. Princeps Eugenius ſtativa poſuerat prope Cobilam, tenebatque regionem interjacentem Danubio ac Tybiſco amnibus, unde facilè, quò ſe hoſtis verteret, ſigna duceret. Nam Rex Muſtaphus pontibus ad Albam Græcam Savum Danubiumque conſtraverat, ancipiti metu diſtracturus hoſtium vires, æque Petri Varadino ab una parte minitatus, ab altera ſuperiori Pannoniæ ac Tranſylvaniæ. Tandem Danubium tranſgreſſus præmiſit Viſiriorum principem cum valida manu, qui Tybiſcum oppidum omni vi oppugnaret, ne cognominis fluvii navigationem Turcicæ prohiberet claſſi, liberum in interiora provinciæ tranſitum legionibus expeditura; & unde commeatus longius progreſſis facili trajectu ſuppeditari poſſent. Præerat oppido Nehemus prolegato cum frequenti Hungarorum Germanorumque præſidio, & novis operibus illud munierat; quippe quod tanti eſſet retinere, ut Princeps Eugenius majoreſque duces eò dudum ſe contuliſſent, an ſatis conſultum loci tutelæ foret, inſpecturi. Non tamen ultra unum diem ſe tenuit. Turcica claſſis ad confluentis fauces admota hoſtilem, congredi nequaquam auſam,

1697.

Germanicus exercitus ubi caſtra metatur.

Turcæ Tybiſcum oppidum invadunt.

1697. *Occupant.* ſam, diſſipaverat; deinde eas ingreſſi, traduxerat ſuorum agmen in dextram ripam. Illinc datus in munitiones impetus, nec intermiſſus, (cùm feſſis integri ſubijcerentur) adeo præſidiarios fatigavit, ut ſub noctem per ſtagnantis ab læva paludis anfractus recedentes, quadringentis ſuorum deſideratis, non minori hoſtium cæde, vacuam iis arcem reliquerint, impares ad expectandam opem, *Nudantque munitionibus.* quæ ad primum oppugnationis nuntium extemplo moverat. Oppidum Turcæ deletis operibus igni tradunt. Muſtaphus celeri proſperoque ſucceſſu elatus, non amplius, quò ſigna duceret, hæſitavit, dubius hactenus inter ſuorum conſilia: ſuperiorem ne ſibi Hungariam an Transylvaniam proponeret. Ceſſit modò Tekelii dicto, Hungariam ſuadentis; *Turcæ in Transylvaniã pergunt, & quo conſilio.* utpote qua ſubacta, nullo negotio in poteſtatem altera ventura foret. De ſubigenda verò ambigi nequaquam poſſe, inclinatis ibi ad rebellandum, repetendamque libertatem omnium animis, ut furtivis dudum legationibus edocuerant; magis autem facto armis indicio, quæ nondum abiecifſent, quamquam ſæviſſima nonnullorum morte agrorumque vaſtitate deterriti; quin ea tanto ferocius retinerent, catervatimque diſcurrerent; quantò non alia miſeris, quàm in dextris ac virtute ſalus. Itaque Tybiſcum amnem traduci juſſo reli-

quo

quo peditatu cum campestribus machinis, equites Mustaphus Rex, ut interim commodiore pabulo jumenta reficeret, ex adversa ripa ducere instituit, quoad altius in citeriorem iterum transveherentur. Id postquam Principi Eugenio cognitum, Comiti Rabutino, qui e Transylvania ad Marisum amnem processerat, celerem mittit nuntium cum mandatis, ut illico suas ad se legiones adduceret. Toto enim copiarum robore Barbarorum consiliis occurrendum sibi esse. Dein trecentos equites cum paucis cohortibus Nehemo prolegato tribuit, quibus Petri Varadinum diligentius firmaret, si fortè Alba Græca præsidiarii erumperent ad illud invadendum, dum sibi longius progresso curæ viresque omnes adversus Mustaphum occupandæ forent. Extemplo illuc viam ingreditur, brevi Transylvanas ad se properantes legiones nactus, quibuscum quinque supra quadragena militum millia secum habuit. Urgendum iter erat, metu ne Turcæ Segedunum prius accederent, ubi, ut in opportuno maxime loco, iterum Germani præcipuam militarem annonam contraxerant. Nec miles accelerandi imperio præbuit se minorem, adeo ut semel atque iterum duodeviginti continuas horas viam commeaverint. V. Id. Sept., quæ dies inter lætissimas maximeque salutares Germaniæ Hunga-

1697.

Pedites ab equitatu divisi Danubio interjacente:

Germani collectis copiis adversus illos festinaut.

1697. *Barbarorum peditatum assequuntur.* gariæque recensenda est, hostilem peditatum, Tybisci dextram relegentem ripam, in conspectu habuerunt. Quatuor & viginti erant millia, vicenis tantùm Janizarorum centuriis trans flumen excubiarum causa apud Regem moratis; unde vicissim ad peditum firmandam aciem (non enim pugnam detrectare poterat) quidpiam equitum traducebatur. Non plus tamen duobus millibus transmittendis tempus suffecit, uno dumtaxat ponte conjungente ripas atque aditum aperiente. Qua in re gravissime ab iis erratum palam fuit, errore statim insigni clade expiato. Pontibus enim frequentius injectis, ipsorum fuisset potestatis, in alterutra fluvii parte cunctis consistere peditum equitumque viribus; quas Germani, numero siquidem longe minores, non facilè pertentassent. At Visirius vel ignarus acceleratæ ab hostibus viæ, vel quod impendente calamitate labat consilium, isthuc mentem non advertit. Nunc in re præsenti satis ei visum, aggerem legionibus circunducere atque armare magno campestrium tormentorum apparatu, quem secum adduxerat; simul plaustris duplex interius construere vallum, unde spes altera propulsandi erat hostis, si ad primos impetus ferociam non remitteret. Dum ille ita se comparat, Princeps Eugenius cum primo equitum agmine coram fuit. Carolo Thomæ Val-

Cui parum equitum submitti a suis auxilio potuit & quare.

Pugna statim a Germanis initur.

Valdemontii Principi cum valida turma obequitare munimentis imperat & circumspicere, quid illa, quid hostis posse viderentur. Comperto, subitarium opus parvam facturam moram, & amne dividi Turcarum copias: tenenda, inquit, occasio est, tantoque itineris labore quæsita, cùm in promptu sit, non deserenda. Si nox intercedat, erit hosti spatium ingenti equitatu se confirmandi. Satius igitur, post victoriam quieti dare corpora, nunc ejus spe animum reficere, animo languorem pellere e via susceptum. Sol decimam jam prope horam confecerat, cùm peditum advenere signa. Extemplo aciem dirigit, in duasque dividit partes, aggerem utrinque ab latere aggressuram. Procedunt lento gradu, ne ordines dissolverent; excipiendaque fuit minorum majorumque tormentorum tempestas, qua plures absumpti. Concurrunt denique atroci pugna. Primi enim ad vallum digladiabantur Janizarorum fortissimi, quibus vincere aut mori decretum erat; & aderant, ut e captivis compertum fuit, supremus eorumdem præfectus, Visiriusque; qui animos addebant sua sponte ceteroqui ferocientibus. Itaque non parum initiò Germanis enitendum fuit ut vallum superarent; nec ita prompte objectis difficultatibus se se expedissent, nisi equites, accepto ex equis desilien-

1697.

Quæ describitur.

1697. siliendi signo, in primos convolassent ordines ac prælium exacuissent. Quo viso pedites, pudore perciti, veluti sibi aliorum strenuitate segnities exprobraretur, redintegrato clamore dant impressionem, tantaque se, conjunctos equitibus, inferunt vi ut in vallum evadentes dimoverint illinc hostem, ac semel commotum in fugam verterint. Victoria ab lævo cornu incœpit, mox in dextrum pervasit. Vtrobique atrox Barbarorum cædes est consequuta; nec ad interiores plaustrorum sepes, cùm pulsis cecidissent animi, renovatum certamen. Addidere stragem aliquot curules machinæ interibi a Germanis in ripa dispositæ adversus pontem, quibus fugientium plures dilacerati. Alios nando transgredi aggressos, se seque impedientes, gurges hausit. Quot Barbarorum interierint, sententiæ variarunt. Primò Germani ad duodecies eorum millies amne aut ferro absumptum, deinde ad vicies, pervulgarunt. Thraces acceptam cladem ad septem millia contraxerunt. Id inter omnes constat, Mehemetem Visiriorum principem, Janizarorumque Præfectum, ac majorum ducum quatuordecim, interemptos. Duo ac septuaginta majora tormenta, plaustrorum cum commeatibus bellicoque apparatu ingens numerus, præda satis opulenta in Germanorum potestatem venerunt. Hi suorum cecidisse quadringentos triginta, vulne-

Germanorum victor.a inter hujus belli celebriores.

Quot utrinque cæsi.

vulneribus debilitatos mille quingentos nonaginta tres, in his neminem majori præfectura donatum, publicis literis consignarunt. Clara, atque inter hujus belli celebriores memorata, ea victoria fuit, tantoque majori plausu excepta, quantus per eos dies fuerat Cæsari ab seditiosis Hungaris, ac Turcis metus. Sub noctem Princeps Eugenius dato receptui signo, interclusoque stationibus ponte, cis amnem suos continuit, veritus hostium validissimum equitatum, qui cum Mustapho Rege non procul distabat. Prima luce, quid ille ageret, percunctatum misit, reperitque, muralibus machinis secum adductis, digressum, tentoria cum gravioribus impedimentis reliquisse. Hac nova militem donavit præda, jussum tamen, præter paucas turmas, non ultra progredi. Rex primo Temesuarium concessit, ubi duos moratus dies ad colligendas palantium reliquias, decem millium præsidio firmatum oppidum extra discrimen posuit. Inde Albam græcam, quò major abierat equitum pars, divertit. Ibi præcipua illum tenuit cura supplendi bellicas præfecturas, primoresque regni magistratus. Cusseimo Albæ græcæ prætori mandatum supremum Visirii munus; Ibraimo Byzantii præsidi, qui olim Chalcidem tutatus fuerat, Janizarorum imperium. Ipsa denique Alba græca duodecim

1697.

Turcarum equitatus quò se recepit.

Mustaphus aucto Temsuarii prdsidio Albam græcam progreditur.

1697. *Qua pariter ingenti militum agmine firmata, Adrianopolim pergit.*

armatorum millibus in custodiam tradita, dimissisque reliquis copiis in proxima hiberna, Adrianopolim haudquaquam infractus animo se retulit. Inter hæc Princeps Eugenius exercitum diviserat, misso in Transylvaniam Comite Rabutino cum ijs, quos illinc deduxerat, copiis; dataque Lichtensteini Principi & Haslingeno prolegatis majori legionum parte, quibus in superiori Hungaria seditionem comprimerent, ibique caperent hibernis locum; ipse, Commercio, Carolo Thomæ Valdemontio, Vidoni Starembergio, Gronsfelto, Truchesio, Herbersteino comitatus, iter in Bosniam arripuit cum quatuor millibus septingentis equitibus, bis mille quingentis peditibus, duodecim curulibus tormentis, binisque pyrolmis; agmen suppleturus Croatorum juventute, quam Kyba Tribunus militum centuriaverat. Spes illi affulserat, provinciam legionario milite jam prope vacuam, Christianique nominis refertam civibus, in jus ditionemque redigendi, qua, Croatiæ finitima, nihil opportunius ad amplificandos Austriaci Imperii fines. Sin minus opulentam ex ea prædam relatum iri, utpote intactam adhuc belli clade. At neutrum e sententia evenit, quamquam provinciæ prætore per hos ipsos dies vita functo, rerum cura in ejus vicarium pervenisset, militiæ ac reipublicæ inexpertum.

Princeps Eugenius partito exercitu in Bosniam signa ducit.

Quam subigendam aut diripiendam sibi proponit.

Germa-

Germani Savum ad Brodam arcem per otium transgressi, lento gradu viam adverso Bosna fluvio conficiunt, corruptis arte aut imbre itineribus, asperis quoque identidem saltubus interceptam. Aliquot, dum irent, in deditionem acceptis oppidis ad Saraium regionis caput perveniunt, quod a civibus abducta re familiari desertum, igne ac ruinis involvunt. Arcem loco operibus & centum quinquagenisque armatorum præsidio infessam invadere, non operæ pretium ducunt. Cùm nusquam tumultus emergerent, nec præda ex inopi aut deserta regione militi suppeteret, quin & autumnus jam in exitu esset, redeundi consilium capiunt, inutilis expeditionis pertæsi, qua vix Christianorum quidpiam in incultam Sclavoniam sponte abductum, & aliquid flamma ac ruinis hosti cladis illatum. Inter hæc Rabutinus, paullum ab Transylvaniæ itinere digressus, Vipalancam, unde aliquod suis negotium exhiberi potuisset, ceteroquin leve auctarium, prope Danubii ripam adortus, vi cœpit inceditque. Eadem æstate Veneti classe magis quàm terrestribus viribus Turcas exercuere. In Dalmatia provincialium manus ducta ad Croatiæ fines, ut eos a Bihatio, dum a Germanis oppugnaretur, diverteret, Vacupum aliaque circum ignobiliora loca in deditionem accepta igne delevit. Alibi quo-

1697.
Quà iter fecit.

Aliquot potitur oppidis.

Tenui relato expeditionis fructu recedit.

Venetorum populationes in Dalmatia.

1697. que mutuo damno in ea provincia sævitum est. In Peloponnesum ne quid mali, ut superiore anno, per isthmum irrumperet, diligentius cautum. Eas fauces objectis ex Stenai sententia identidem castellis Veneti obstruxerant, insederantque bis millibus equitum legionariorum, totidem peditum, provincialium quoque selecto agmine, Stenao ipso terrestrium expeditionum supremo duce illic moderante rebus agendis, si fortè hostis aditum aperire sibi, pertentaret. Satis ita Peloponneso provisum ratus Alexander Molinus imperator, Turcas prius pelago dejiciendos statuit; deinde, ubicumque liberum esset, copias expositurus, & aliquid faciliori eventu ausurus. Secum ducebat quinque ac viginti bellicas naves, binasque incendiarias, sex hepteres, quinqueremes viginti, quibus paullo post aliæ duæ bellicæ Venetiis digressæ, Romanum quoque ac Melitense quinqueremium agmen non leve incrementum addidere. Ægæum pervagatus, Turcicam classem Assano semimortuo duce prope Tenedum in occursum prodeuntem reperit. Sex ille ac vicenis majoris formæ, duabus incendiariis, undeviginti biremibus navigabat. Quamquam jam dies præcipitaret, Molino haudquaquam visum, subductis in portum aliquem longis navibus, bellicas earum præsidio fraudare, quamquam

Peloponnesi isthmum Castellis muniunt.

Classem adversus Turcas ducunt.

quam illis infido nimis per noctem pelago. 1697.
Et sane increbruit Boreas, qui ante occasum leniter flaverat; nec sinebat, remis acta navigia se sustinere, eaque in Turcarum impellebat classem, hujusce telis mox obruenda. Nam satis ad collimandum splendebat luna pernox. Assanus maritimæ artis peritissimus timorem auxit, aliquot obliquo vento immissis navibus, quæ Venetis ab tergo ab latere insultarent. Nec ab extrema pernicie distabant, nisi huic avertendæ Molinus derepente mandasset Bartholomæo Contareno bellicarum navium præfecto, ut nulla secundi retinendi venti habita ratione, (quocirca hactenus contractis velis se circumegerat) medius invaderet hostilem classem, suoque, ut in repentinis malis, periculo sisteret discrimen, quod atrocius impendebat humiliorum agmini. Ille rem confestim exequutus, vacuum inter utramque classem tenuit locum. Quinqueremibus tamen vi procellæ disjectis, nec amplius remo cursum moderantibus, præsidio non satis erat. Jam enim iisdem se se aliquot transversæ admoverant Turcarum naves. Quamobrem Contarenus non aliter istorum ferocitatem reprimi posse arbitratus, quàm conserta pugna, dat suis signum ut in hostem irruant. Ita dum Thraciæ naves in prælium versæ oborto cavent periculo, Venetæ quinqueremes,

Quomodo ad pugnam se parant.

Quinqueremium Venetarum periculum quomodo dissipatum.

1697. remes, Hepteresque haud amplius metu cohibitæ, tormentorumque fumo tectæ, plenis accipiunt Boream velis, capiuntque in Lesbo insula Calonis portum, mox inde Scyrum progressæ, atque ita Contareni præcipuo studio ex hostium faucibus ereptæ. Una tantùm, fractis remis & gubernaculo, reliquas non assequuta, crebris hostium jaculis icta mergitur. Interea majores naves ingenti boatu, discissisque armamentis non sine cæde & vulneribus tela reciprocabant. Undecim pugna horas efferbuit; nox præliantes divisit, ad Tenedum insulam digresso Assano, ad Scyrum Contareno, deinde ad Cauraleonem Andriæ portum; utroque ad reficiendas naves intento. Dum illic morantur, Naupliam Hepteres Molinus reduxit, expertus, impedimento potius quàm præsidio suis, si novam consererent pugnam, fore. Illinc eductos quadringentos navales socios, ac mille ducentos milites ire jussit ad isthimi fauces; hos armis, illos moliendo vallo, ubi foret opus, hostes ab irrumpendo prohibituros. Ipse quinqueremium classem in Saronicum sinum ductam appulit ad proximum Corintho litus. Compererat enim, Geruchum, supremum Thracii exercitus ducem, in exauthorati Miseroglui locum suffectum, septem collegisse peditum, tria equitum millia, quibus in Peloponnesum pervaderet; dum interim

Prælium inter majores naves describitur.

Ejus exitus.

Veneta longæ naves ad Peloponnesum redeunt.

rim Assanus descensu e classe facto, aut saltem Veneta, ne illuc accederet, vetita, tumultus alibi commoveret cieretque turbas. Nec diu fuit, quin Turcarum consilium in apertum prodierit. Assanus cum classe in Eubœam venerat, ad Caphareumque promontorium stabat in anchoris, Venetæ imminens majorum navium classi, quæ adhuc in Gauraleone se se ad navigandum instaurans, commorabatur. Eò ille, vixdum secundus aspiravit ventus, vela dedit, atque ita prope ostium statuit naves ut hostis, egredi si vellet aut proras in Peloponesum dirigere, nequaquam posset; aut congredi adverso vento necesse haberet. Verùm sua illum spes decepit. Duas Gauraleon intranti pelago fauces aperit; Latas alteras ac profundas, alteras communi opinione minoribus tantùm navigiis pervias. Has idcirco Assanus incustoditas reliquerat, fretus navarcorum testimonio, qui obstructum brevibus ibi aditum affirmabant. At ubi mox vidit illinc egressam Venetam classem, doluit se delusum, imperitosque navarcos capite aut remo damnatos luere falsi consilii pœnas voluit, ne ceteri temere incurioseque errarent. Simul collectis densatisque biremium ope navibus ad prælium se comparat. Ferociter utrinque commissum, acuente animos ducum æmulatione, quam quotidie magis accenderat sæpius

1697.

Ab ea proinde invadenda Turcæ abstinent.

Majoribus navibus certatur.

1697. pius experta invicem alterius virtus. Pugna, cùm jam inclinato die incœpisset, tres tantùm horas dæseviit non parva mortalium armamentorumque mutua clade. Sub noctem Assanus ad Caphareum promontorium classem retulit. Veneti ad Andriam insulam orta luce, accepto unius damno bellicæ navis, quam dolo an incuria nautarum immissus in sulphuratum pulverem ignis misere absumpsit. Res ancipiti eventu mari gesta terrestrem Turcarum expeditionem, qua in Peloponnesum irrupturi erant, diremit. Geruchus ad primum adventantis in Eubœam classis nuntium suas copias e castris eductas Megaram duxerat. Illinc turmam equitum speculatum ad isthmum miserat, tantæ ne iste molis operibus obstrueretur, ut spem adimerent perrumpendi. Postquam exploratum habuit, non continuo vallo præsidiisque viam obsideri, equitatum omnem præmisit, impressionem, si hostis in aciem eductus prohiberet iter, daturum; cum peditum ipse legionibus prosequebatur. Veneti ad pugnam se se expediebant, quam postridie subeundam (nox enim tunc appetebat) arbitrabantur. At ubi illuxit, hostem longius digressum, nec ita multo post circa Thebas in stativa se contulisse norunt. Is enim ubi intellexit, quid navali prælio actum fuerat; quamobrem Venetis majoris formæ navibus

Dubia victoria.

bus reditû in Peloponnesum vetari non posse, 1697.
consilium mutavit, otiumque in stativis tenuit. Non eadem mari habita quies nimis utrinque incensis animis ad iterandum certamen, ira & gloriæ cupiditate subdente faces. Nec diu absuit occasio. Nam cùm paucos dies brevi inter se spatio sanandis armamentorum vulneribus stetissent in anchoris, indeque alter in alterius occursum digressi, dum Thraces Sunium promontorium præterlegerent, Veneti Ceam insulam; in conspectum venerunt, statimque pugnandi avidi in aciem descendunt. Leniter spirabat Eurus ferebatque secundo flatu in hostem Venetos. Non tamen Assanus, impari licet reflantis auræ conditione, prælium detrectavit. Id fuit, quale æmulis & duplici jam congressu irritatis pugnandum erat, atrox, obstinatum, & furore potius quàm arte gestum. Principiò densatæ biremium remulco Turcarum naves excepere digestam ordine Venetam classem, justo jaculantem spatio. Mox recrudescente pugna propiùs admotæ, non modò majoribus sed manualibus tormentis incredibili ferocia se se invicem incesserunt, aliquando simul plures, sæpe singillatim congressæ, nonnulla corporum, majori armamentorum clade. Nox finem prælio attulit, quo plures utrinque laceræ claudæque naves vix navigando suffecere. Turcæ ad pro-

Iterum congrediuntur, & pugna navalis narratur.

1697. *Quo eventu.* ximum Eubœæ litus, nec ita multo poſt intra Hellespontum ſe retulerunt; Venetæ brevi circumactæ gyro in Naupliæ portum. Ter hoc anno commiſſa navalis pugna Venetis ferro abſtulit paullo ſupra trecentos, vulneribus ad nongentos affecit. Quid Barbarorum abſumptum fuerit, non ſatis certum. Graviori pernicie multatos, probabili argumento vulgatum eſt. Id non ambigitur, Byzantii ſeriò an ſimulate celebratam fuiſſe prioris pugnæ victoriam, Aſſanum ab Rege virtutis caugemmato acinace ac pellita veſte donatum; Venetiis Molino, cùm legitimum expleſſet tempus, commeatum petenti, nulla mora ſucceſſor datus Jacobus Cornelius; facto indicio, nihil ad ejus culpam, nihil ad laudem verti poſſe. Reliqua Fœderatorum ſpes, eaque magna, in Moſchis erat, ingentes conatus pollicitis, quos primò præſertim icti fœderis anno exequi, pudor & quidam ingenuus minuendi nominis timor ſuaſurus videbatur. At ſpe minor eventus. Non enim hæc una, ut mox erit narrandi locus, urgendi belli cura Petri magni Ducis animum occupaverat. Ad Tanais Boryſtheniſque fauces nunc quoque diviſerat exercitus. Mandaverat autem duobus Legatis, quos iiſdem ſummo cum imperio præfecerat, ut hoſtem reprimerent potius quàm provocarent. Nec ſecus accidit. Tur-

Moſchorum exercitus ſui prope expectationem decipit.

cæ Scythæque Galga duce frequentissimi, Tanaim urbem aggressuri, advenerant. Non enim ferre poterant, celebre emporium in hostium potestatem venisse, atque illinc in pontum Euxinum patefactum iter. Castra posuerat prope oppidum Alexius Simonis filius Moschorum imperator, advenientium impetum, priusquam muris succederent, excepturus. Nec Barbari dare, vixdum in conspectu fuere, cunctati sunt. Inito prælio non semel eos pulsos ad arma rediisse atque instaurasse ordines, fractosque denique magna cæde terga vertisse, Moschi victoriæ suæ plaudentes in Fœderatorum notitiam deduxere. Rem quoque pari felicitate per id prope tempus ad Borysthenem se gessisse renuntiarunt. Tavana est insula inter plures, quæ latissimum ejus amnis alveum intersepiunt. Hanc imposito castello munierant, fluviatilem navigationem arbitrio suo prohibituri. Rei momentum Scythas Bessarabienses, qui finitimam regionem incolunt, vehementer perculit. Quamobrem facto ingenti agmine, consociatisque Thracibus, quos Halius ductabat, lintribus in insulam traducti, munitionem corona cingunt ab omnique parte adoriuntur; spe præsidium, nunquam intermissa pugna fatigatum, vires defecturas. Quò plures subierant, eò subeuntibus cædes atrocior gladiis jaculisque illata

1697.

Pugnat adversus Turcas ac Scythas.

Quos alibi ab se repellit Tavanæ insulæ præsidium.

1697. illata. Moschis enim periculum ipsum animos addidit, suique oblitos in hostem intendit adeo, ut is magna clade multatus, referendi trans amnem signa moram non fecerit. Quæ dum illic armis geruntur, nova insuetaque suæ genti voluntas peragrandi exteras nationes Petrum tanti nominis Principem a belli cura non parum abstulit. Captum consilium seu sua sponte ob egregiam indolem, seu Lefortii Genevensis hortatu, qui prætorianorum centurio superioribus annis illum ab seditionis tumultu in arcem abduxerat; & modò rei gestæ merito, inter præcipuos militiæ duces intimosque ejus amicos recensebatur, sermones præbuit, insita vulgò opinione: quicquid Principes agunt, mysterio fieri. Patuit autem, nil sibi aliud proposuisse, quàm nosse mores hominum; atque artes disciplinasque, nauticam præsertim, ab se prius non leviter perceptas, in rudes populos traducere; facilè complexum animo, vigere Imperii majestatem non stolidorum civium frequentia, sed ornata ac probe culta. Igitur magnificam ingenti apparatu legationem trium Procerum, quorum caput Lefortius ipse, terrarum Dominos, quà iret, salutaturam, secum adduxit; ipse prosequutus privati specie. Primùm Octovir Brandeburgensis Regiomonte conventus, qui publice

Petrus magnus Moschorum dux peregrinatur.

Præmittit ingenti pompa Legatos.

Le-

Legatos apparatiſſimo hoſpitio atque omni excipiens honore, ſatis oſtendit, cuncta in eum deferre, qui ſuam occulere dignitatem, ac minor videri vellet. Plures ibi ſpectaculis, choreis, conviviis traducti dies. Navibus inde Amſtelodamum profecti, ſe illic aliquot menſes continuere, capto Principe Navalium pulchritudine, navium conſtructione, ac fervente maritimis operibus multitudine; cui vel aſcia inſtructus, vel exercendis nauticis miniſteriis, agendo quoque remo, quotidie ſe ſe admiſcebat; opere cupidus experiundi, quæ præceptis didicerat: improbabili exemplo; cùm nihil, niſi intra modum, Principi honeſtum. Dum illic tempus traduxit, Ultrajectum cum Legatis progreſſus, quò Vilhelmus Rex ad hos publice excipiendos advenerat, familiares cum ipſo privatim ſermones habuit, deditque promiſſum, ſe mox in Angliam tranſmiſſurum. Itinere Hagam Batavorum ad ſupremum Fœderatorum Ordinum Magiſtratum continuato, non ita multo poſt Amſtelodamum regreditur; ubi tamdiu diverſatus, quoad aliquot exceptus bellicis navibus a Vilhelmo Rege ad eum traducendum immiſſis, Angliam petiit. Legati magnificentiſſima pompa Vilhelmum adiere, culti primùm publicis honoribus; deinde Procerum & cujuſcumque fortunæ civium ſtudio, quo-

1697.

Primùm Regiomontem ad Oſlovir & Brandeburgenſem.

Deinde Amſtelodamum.

Quid ibi geſſerit.

Mox Ultrajectum ad Vilhelmum Regem.

Deinde in Angliam.

1698. quorum intererat, frequentare commerciis Moschorum amplissimum Imperium. Eoque diligentius erga potentissimum Principem nulla non adhibita officia sunt. Tres amplius in Anglia moratus menses plerumque secum habuit naturæ aut navalis scientiæ peritos, eorum institutis mirifice delectatus. Discedens magnis muneribus, eoque præ ceteris gratissimo, instructa nave, donatus est. Recta illinc ad Cæsarem. Inclaruit Viennæ quoque Legatorum pompa, habitusque iis honos. At præcipua in Petrum, fœdere ac potentia illustrem, conversa civium & Aulæ studia. Principio suspendit animos timor, ne ipsi & Cæsari dirimeret congrediendi colloquendique facilitatem ortum ex titulis officiisque invicem moderandis certamen. Nullum tamen evenit, libentiùs occulente se Petro, quàm ulla splendidiori honoris significatione dignitatem suam omnium oculis objiciente. Stantes ac veluti fortuito occursu congressi primùm in Cæsareæ domus ambulacro sunt, quò ille per posticum deductus fuerat. Nemo affuit præter Valleinii Dietresteinique Comites cum Cæsare; Lefortium cum Moscho, gallice, quod is patria dicebat lingua, Cæsari interpretantem. Ejus adeo superstitiosa patuit industria contegendæ majestatis, ut caput operire firmiter abnuente, suum quoque aperire Cæsari opus fue-

Summis honoribus exceptus

Demũ Viennam ad Cæsarem.

Quibus illic honoribus altus, quantum moratus.

Familiariter sæpius cum Cæsare congressus, & quicquid ea in Aula gessit.

fuerit. Longi comisque sermonis argumentum præbuit primùm de Thrace utriusque armis victo mutua gratulatio, dein renovata fœderis atque amicitiæ fides. Par postridie in hortis cum Rege Romanorum congressio. Sæpius deinceps nulloque discrimine iterata in spectaculis, quæ celebrando tanti hospitis adventui plura eximiaque edita sunt; aut alter alterum domi convenit. Munera ex ipsorum dignitate invicem data, a Moscho pretiosæ pelles ac Persica peripetasmata; ab Cæsare geometrica supellex, describendique Cœli apparatus. Illum inde in Italiam profecturum detinuit avocavitque in regnum obortus isthic atrox tumultus. Iter extemplo cum Lefortio aliisque paucis eò arripuit, gnarus: seditiones, placabile malum, si citò curationem adhibeas; si quidpiam se se obfirment, quicquid inest vitiosum inter cives, sibi asciscere, auctisque viribus remedia vincere. Leopoli, parum de via digressus, Augustum Regem convenit, cum eoque biduum commoratus, oblataque iterum, ut initiò per legatos fecerat, militum ope, si vi civiles ei turbæ sedandæ forent, iter continuavit. Regni fines ingressus, fractam seditiosorum audaciam compressumque tumultum reperit. Is ingenti apparatu a prætorianis militibus, (Strelitios vocant) incœperat, quorum agmen decem millibus

1698.

In Italiam iturus revocatur in Regnũ accepto seditionis nuntio.

In via Augustum Regem convenit.

Seditionem compressam reperit.

1698. libus constabat, selectoque robore virorum plurimi momenti erat. Prætoriani partes Petro adversas, dum toties ac dudum sex ante menses tumultuatum fuerat, sequuti, ejus odium iramque in se concitaverant, utriusque tamen hactenus inexperti, quia timebantur. Quod unum sine reipublicæ perturbatione Principi licuerat, specie tutandi fines, illos ab Regia dimoverat, tacite vulnerato animo comprimentes injuriam, quoad susceptum vulgatumque peregrinandi consilium Petrus exequeretur. Ubi comperiunt jam longius digressum, dubios populares, e superioribus turbis vi ad quietem adactos, ad res secum novandas illiciunt, prætendentes crudele Principis ingenium, advenas ad civilia & militaria munia contra leges vocatos, novosque alienas peragrandi regiones, quod Moschis adhuc vetitum fuerat, inductos mores. Ingenti conflata manu Moscuam petebant, Sophiam Petri germanam, virilis ingenii fœminam, pristinis etiam fovendis turbis adhibitam, nunc eductam e sacrarum Virginum claustris, Imperii gubernaculis admoturi. At res irrito eventu cecidit, auspicio ac virtute quatuorviralis Collegii, cui Petrus discedens habenas commiserat, fretus hominum fide, quos necessitudine sibi conjunctos, nunc etiam eorum Liberis

Unde orta, & quo successu extincta narratur.

ris secum abductis, arctius obstrinxerat. Creditum, primò eam procellam facilè dissipatum iri misso Prætorianis stipendio, quo aliquot menses frustrati fuerant. Mox postquam cognitum, iter illos Moscuam accelerare, ubi se solùm debitam pecuniam percepturos dicerent; personare simul totum agmen Sophiæ nomine, atque augescere quotidie magis, confluentibus ad arma quotquot antea metus aut ira, modò spes impellebat; vi perdomandos constituunt, priusquam diuturnitate, qua nihil roborandis seditionibus præsentius est, se confirmarent. Gordonium legatum, cui utpote peregrino in hoc civium motu magis fidebant, proximas regiæ urbi legiones confestim colligere, seditiosis occurrere, ac rem e fide sua moderari jubent. Obviam progressus non ita multo post illis occurrit. Utrique stetere veluti e composito, quid agerent, consulturi. Gordonio visum satis ad victoriam sibi esse, morari hostem, quem tempus & commeatuum inopia deteriorem in dies factura essent, proindeque ad eum retinendum vallo suas copias circumdabat. Ille contra, ut in extremo discrimine, audendum ratus, pugnam provocat. Hæc fuit atrox ac diuturna, prætorianis desperata venia in rabiem ac furorem versis. Verùm cùm iis parum adderet virium tumultuarius miles, fracti demum non 1698.

1698. impunita ſed magna cæde, fugati diſſipatique ſunt. Sedato tumultu redditum otium reipublicæ, cui confirmando ſuperveniens Petrus anquiri in ſontes jubet. Procerum aliqui, plures militiæ duces, & ad duo millia prætorianorum exquiſitiſſimis tormentis, quibus atrocioribus nulla gens utitur, dilacerati. Horum agmen deinceps exauthoratum, ſuffectaque tuendo Principi trium millium lectæ juventutis legio. Sophia diligentius cuſtodita. Per id prope tempus non armorum ſtrepitu, ſed amice rebus compoſitis, quies Sarmatis reddita. Cardinalis Radzieuſckius fruſtra ſemel iterumque pertentaverat Contiaci Principem, ut in Sarmatiam rediret, ſuam ſecumque conſpirantium fidem experturus. Quamobrem, ne inanem ſequendo ſpem latius dilataret patriæ vulnus, reconciliare ſibi Regem in animum induxerat, clam idcirco obteſtatus Pontificem maximum, ut pacificatoris munere, quod Sacrorum Principe dignum erat, defungi vellet. Gnarus Innocentius, turbarum pertæſum Regem concordiæ libenter adhæſurum, nec difficilem honeſtis pangendis conditionibus fore; Fabritium Archiepiſcopum Paulutium ex Agrippinenſi legatione in Sarmatiam traductum, huc ſedulam dare operam juſſit. Nec diu fuit, quin is agendi lenitate placidoque ingenio finem acerri-

Perduelles maximis pœnis interempti.

Alii ſevere multati.

Quies penitus Sarmatiæ reddita, & quomodo.

ri-

rimis contentionibus imposuerit. Lovitii in sui Archiepiscopatus sede Cardinalis Radzieuskius conventum habuit. Affuit Humieskius Fœderatorum moderator, maximusque ipsorum numerus. Ab Rege venerunt Chioviæ Antistes, Radziviliusque Princeps, Lithuanis dirigendis exhibendisque diplomatibus præside. Romanus Legatus suum sequestri tenuit munus. Prima Fœderatorum sententia fuit: abrogandum, quicquid creando Regi Uladislaviæ Episcopus gesserat, novisque suffragiis Augustum in principem locum iterum cooptandum. Qua repudiata, postularunt, irritum saltem lege fore, si quid hujusmodi in posterum contigisset. Id quoque, cùm res anceps & in obscuro esset, nec nisi accurato judicio dirimi posset, negatum. In eo tandem conventum est, ut in pacificatoriis, quæ vocant, comitiis (aliquot ea post menses habita sunt) ab Uladislaviensi Antistite daretur fides, nunquam ab se Gnesnensis Archiepiscopatus jura violatum iri; utque comitiorum auctoritate sanaretur, quodcumque in mandanda Augusto regia dignitate vulnus legibus inflictum reputaretur. Ita extinctis diuturnis discordiis externa Reipublicæ pax restituta. Nam diffidentia & suspiciosi invicem animi diu non facile exempti, quamquam Rex alios muneribus, cunctos comitate lenire nunquam 1698.

1698. destiterit, & modò Cardinalem Radzieouskium adversi fœderis auctorem, Humienskium moderatorem, cùm statim, deducente Paulutio Legato, ad eum salutandum venissent, officiis omnibus sit prosequutus. Non multi deinde abiere dies, cùm domestica Lithuanorum dissidia, quæ aliquot menses provinciam in extremam calamitatem adduxerant, pari eventu finem habuerunt. Duo Procerum potentissimi privatis primùm contentionibus dissentientes, causam publicam ad se attraxerant, Princeps Sapieha supremus ejus gentis militiæ Dux, Oginskius Vexillarius. Huic magna nobilium pars adhærebat, perosa, gravem ceteris, Sapiehæ familiæ felicitatem; Illi cum non exiguo necessariorum globo legionarius miles. Haud semel ambigua victoria, mutua cæde atque ærumnis in leve certamen descenderant; nec diu inter ipsos cuiquam reconciliare amicitiam licuerat, quia & Regi, qui se idcirco propius ad eos admoverat, hortanti, minitanti, jubenti nequaquam cesserant. Tumultuario denique prælio victus fugatusque Oginskius trecentis suorum necatis; fessus communi malo Sapieha; utrique veriti Saxonum copias, quas in contumaces Augustus Rex vertere constituerat, in concordiam dictis jam ante ab Rege conditionibus coierunt; scilicet ut præteritorum obli-

Dissidia inter Lithuanos Proceres quid causæ habuerint.

Quos successus.

obliti, communi consensu Patriæ bono Rei- 1698.
que publicæ navarent operam. Ne Sapiehæ *Quem exitum.*
Domui quisquam modò alius majorum magistratuum (plus enim satis habebat) mandari posset. Ne supremus ex hac ipsa Domo armorum dux judiciis interesset. Exercitus novem non amplius Lithuanorum millibus constaret, quibus stipendium nisi præsentibus provinciarum legatis non solveretur. Scythæ, Cosaccique, quorum plures in eam militiam asciti fuerant, dimitterentur. Lithuana pari jure Polonæ Nobilitati æquata in posterum foret. Pacata Republica Turcas exagitare, duo maxime Augustum Regem suaserunt. Alterum, ut arrepta occasione apud se retineret Misnienses legiones, quæ per Sarmaticos tumultus auctæ dudum e Saxonia Hungariaque duodeviginti recensebant armatorum millia. Alterum, ut solveret datam Camenæci invadendi fidem; cùm præsertim propinqua pace metus esset, ne nisi prius armis in potestatem redactum, paciscendo haudquaquam obtineri posset. Adulta æstate infestis signis eò processum, ipso in itinere capto irriti successus omine. Haud enim, indole aut æmulatione, Germani Sarmatæque milites inter se congruebant. Ubi deinde ad mœnia propius perventum est, superandi oppidi decessit spes. Thraces Scythæque, quibus hoc anno a Moschis, in

Frustra Augusti Regis jussu tentatum Camenæcum.

1698. in domesticas intentis curas, parum timendum erat, illud non frequenti solùm præsidio, sed ingenti agmine circum vagantes, extra discrimen posuerant. Itaque non amplius illic moratus, quàm reficiendis e via militibus opus foret, Rex Augustus pedem retulit divisitque hibernis locum, verso ad oppidum pacis conditione recuperandum studio. De pace siquidem post septimum decimum annũ instauranda conventus per hos ipsos dies inter Fœderatorum Turcarumque legatos celebrari cœptus. Ejus ab Cæsare jacta prima semina, factusque per hyemem caute sermo. Diu enim anceps, Pontificis ne maximi Venetorumque, quin & pervulgatam populorum vocem audiret inclamantium, ut liber ab Gallico bello, Turcicum majori conatu prosequeretur, communique hosti mortiferum vulnus infligeret; an honestis pactionibus otium quæreret; in hanc denique sententiam inclinaverat animum, gravissimis Comitis Francisci Uldarici Kinskii, qui ab intimis consiliis ei erat, argumentis traductus. Is enim cùm de re quodam die consilium haberetur, ita disseruisse dicitur. Magnum, Cæsar, negotium est, evellere ex hominum mentibus, quicquid semel vehementer infixum (adeo cogitandi tædio aut incuria non ultra primos ingenii motus progredimur) nititur plerumque altis radici-

Cæsar de instauranda cum Turcis pace serio cogitat.

Kinskii oratio pro ea suadenda.

radicibus. Id tamen aggredior, suasurus pacem cum Turcis redintegrandam; eam licèt communis opinio inopportunam censeat, commune desiderium respuat atque aversetur. Mea siquidem erga te fides postulat, ut, quæ diu perpensa statui mecum e tua fore utilitate, in medium afferam. Tuæ prudentiæ; horum, qui me circumstant, sagacitatis erit, expendere, an verè se ita res habeat, ut ego mihi antea, nunc vobis ob oculos pono. Duo in unaqualibet deliberatione præcipuum video tenere locum: scilicet quicquid consulitur, commode ne fieri possit, & an intersit. Perpendendum igitur, utri e contrariis nostris sententiis hæc ipsa congruant. Mirabitur aliquis a me contendi, grave futurum Cæsari, barbaricum bellum ultra producere. Potuit, inquiet, ferocissimum hostem insectari, vincere, profligare, dum ille vigeret florentissimi Imperii robore, Cæsar in diversa distraheretur Hungarico anxius tumultu, Gallicis armis distentus. Nequeat nunc, iste solutus alibi ac liber, Thrace tot cladibus, & maxima nuper debilitato, solicito de suorum fide, pecuniis exhausto? Magnifica sane verba & ad captandos animos peridonea, quæ tamen plus pompæ habeant quàm soliditatis. Quid enim? Turcis inops ærarium? an ne nobis affluit? calamitosæ illis clades? an incruentæ 1698.

tæ

1698. tæ Germanis victoriæ? Audio quotannis prostratas adeo Barbarorum copias ut se se nequeant instaurare; ad signa infrequentes fore milites; ærarium deficere. Video postmodum, majori, quàm nos, exercitu per æstatem exurgere, atque ita res nostras in discrimen adducere ut seu felicitate tua Cæsar, seu militum nostrorum desperata salute nisi temerario prope conatu redempta foret, seu melius una Divorum clementia, nonnunquam explicatas, quandoque etiam auctas obstupuerimus. Pecuniam verò ad militares apparatus eis nunquam defuisse, nobis industrie quæsitam, ac difficulter expressam, vix suffecisse. Siquidem celerius acrescit amnis modico deductus atque altus fonte, quàm uberrimo amplissimoque. Cuinam ignotæ sunt nostrorum civium querelæ: novis in dies tributis ad pauperiem se redigi, novo quotannis delectu liberis ad rei familiaris curam, ad senectutis solatium destitui? quas negligere non boni quidem est Principis, qualis ipse & dici & esse, Cæsar, velis. Non inficior pares questus per Othomanorum provincias obstrepere & parvipendi. Sed istud inter tyrannicum ac legitimum dominatum interest, quòd alter nihil populorum utilitatem, alter hanc solùm pensi habet. Verùm ut ut privati commodi nulla ineatur ratio, & sola respublica occupet

ani-

animos consiliaque nostra ; quid erit dicendum , si solerter explorato præsenti rerum nostrarum statu , is deterior , quàm umquam aliàs hoc bello , se se nobis offerre videatur ? Hactenus quidem cum duobus potentissimis Regibus pugnandum , Cæsar , tibi fuit ; at quantis fulto sociòrum opibus ? minor in te irrupit Gallicæ pars ferociæ , quæ tot simul Germaniæ Principes aggressa , eorum præcipue viribus fracta refrenataque fuit . Primos Barbarorum conatus qua animi alacritate , quo militum robore tecum Sarmatæ ac Veneti retudere . Hungarici tumultus non diu graves ac formidolosi ; dein compressi quanta hibernorum commoda , pecuniam , copias , nondum exhausta provincia , veluti piaculo , præbuerunt . Nunc verò quàm diversa rerum facies . Sarmatæ intestinis discordiis impliciti jam penitus ad Turcicum bellum obtorpuerunt ; tantùmque abest , ut illinc opem quæras , quin & Misniensium legiones , quæ tibi merebant , remittere Augusto Regi necesse fuerit . At horum excipient vices Moschi nuper fœderi ascripti ? Ego , quid ea de gente ignota ac longinqua sperandum sit , non satis judico . Non me verò latet , nunquam liberius mentiri famam , quàm cùm ob locorum distantiam redargui nequit ; nec multùm fidendum sociis , quos nulla communis boni 1698.

1698. aut mali ratio conjungat. Veneti quidem pugnando strenue fidem tuentur. Ad conterendum autem potentissimum hostem parum refert maritimum aliquod dubia identidem victoria commissum ab iisdem prælium. Quòd si, attenuatis Fœderatorum auxiliis, firmiores suo saltem robore constarent res nostræ, esset, quo nonnihil inniti posset producendi belli consilium. Verùm turbulenta Hungarorum ingenia quis nescit, sublato seditionis vexillo magnos nunc quoque ciere motus, tantò periculosiores, quantò vehementior animos oblitos Principis clementiæ, desperantesque veniam, furor agitat. Quæ cùm ita se habeant, nemini, opinor, in mentem veniet, leve fore, diutius in Turcas arma ferre, ac Martis fortunam, tot tantisque obnoxiam difficultatibus, periclitari. Superest modò (quæ fuit propositi argumenti pars altera) utrum intersit, expendere. Plura siquidem, si molestia utilitate rependitur, quantumvis difficilia, peragenda libenter magno atque erecto animo sunt. Proponamus igitur ante oculos maximum, cujus incendamur desiderio, diutiùs producti belli præmium. Id erit, Alba Græca Temesvariumque si tuam, Cæsar, in potestatem redigantur. Nam quis cogitet avios aut insidiosos Bosniæ saltus, Serviamque prope desertam? Sic enim, inquient, Hungaricæ securitati consul-

ſultum fore, ſi aditus ex iiſdem oppidis in provinciam non aperiatur. Ad hæc primùm dico, ſatis clauſam Hungariam fluviis eſſe. Addo: eas arces nunquam ſubactum iri, niſi prius hoſte fortiſſimo, qui certe auxiliatum prodibit, acie victo. Cùm autem Mars ſit communis, & ſemper incerta prælii fortuna, conferet ne, pugnæ aleam ſubire, nobis daturam victoribus duarum urbium poteſtatem; at ſi vincamur, inexplicabiles ærumnas, quas horret animus commemorare; vos, quas aliquando experti fuimus, quaſque non ſemel pertimuimus, poteſtis cogitationi veſtræ ſubijcere. An æquiparandum non ita magno, ut quiſpiam reputet, emolumento tantum diſcrimen? Denique, ut nihil infauſti eventurum credam; cenſeat ne aliquis, boni ac prudentis eſſe conſilii, duriſſima oppugnatione imminuere legionum robur, quo longe majoris momenti negotium (Hiſpanicæ hæreditatis ſuboſcure admonebat) ſuſtineri & abſolvi debeat. Hæc habui dicenda, ut meam exoluerem fidem. Vos in quam vultis ſententiam ite. Cæſar, quæ ſibi lubeat, amplectatur. Kinskii dicto, quamquam non omnium moviſſet animos, nemo palam occurrere auſus eſt, cùm non facilè infirmari poſſet, & Cæſar illud vultu & oris habitu annuere videretur. Is itaque, re in hanc opinionem deliberata, domum redeuntibus Le- 1698.

Cæſar redintegrare cum Turcis pacem ſtatuit.

Aaa 2 xinto-

1698. xingtono Vilhelmi Regis legato, Heemskerko Batavorum, dixit, commode putandum: acceptam dudum cladem Turcis meliorem dedisse mentem pacis constituendæ, aut fœderis reconciliandi; nec amplius superbe repudiaturos, quin Vilhelmus Rex, Fœderatique Ordines ad alterutrum æquis conditionibus feriendum auctores ac sequestres fierent. Eos proinde se adhortari, ut saluberrimum rursus navandum opus, quo tanta ipsis gloria, tantæque ab utriusque Imperii civibus acclamationes erupturæ forent, conficiendumque susciperent. Illi sine mora sunt assensi, dederuntque suis Byzantii legatis negotium, ut isthuc omnem salvo decore conferrent curam. Primus cum Visiriorum principe Kusseino Comes Vilhelmus Pagetus Britanniæ legatus, arrepta occasione, de re sermonem intulit, fatus, hunc non abruptum, sed intermissum superioribus annis, renovari post diutiùs periclitatum bellum nunc melioribus auspiciis posse, certa spe, eamdem pacificandi voluntatem in Rege suo Batavorumque Republica se reperturum. Visirius dictum pronis auribus accepit, jamdiu animo complexus, nunquam sibi satis, nisi positis armis, consultum iri. Bellum quippe e veteri Othomanorum dignitate nequaquam instrui atque adornari posse; & Mustaphum Regem immemo-

De ipsa quomodo agitandus sermo;

Turcis res proponitur.

rem

rem debilitati tot vulneribus Imperii, si exercitus militaremque apparatum suo minores desiderio videat; id non temporum difficultati sed suorum daturum negligentiæ, ejusque pœnas repetiturum. Enimuero e Pannonia Mustaphus regressus post cladem acceptam, in uno redintegrando exercitu bellicaque re mentem defixerat, haud inaniter culpam superioris ærumnæ in eos conjiciens, qui dicendo vanisque argumentis evicerant dividendas copias, earumque partem trans Tybiscum ad fovendas Hungarorum seditiones mittendam, quamquam illuc commearent Germani integro exercitu. Quocirca Muphtii, & aliquot majorum ducum, qui consilii auctores fuerant, laqueo cervices frangi jusserat, mandaveratque simul, quantùm plurimum licuisset, congeri pecuniæ ac militum; dissipato rumore, ut ad ea blandius cives illicerentur, non hostium strenuitate, sed suorum stultitia quidpiam recenti pugna detrimenti acceptum, quod tamen, adhibito intentiori studio (nec, quin adhibendus esset, dubitarent) sarciri, atque invicem inferri, non difficile non arduum foret. Verùm cùm nihilo secius dolerent populi nova tributa, militiæque inviti darent nomina, quiritantium strepitus in Regiam pervenerat, sollicitabatque Regis animum. Hanc Visirus opportunitatem nactus aperien-

1698.

Visirius ad pacem inclinat & quare.

Quamquam Mustaphus bellum cuperet.

1698. aperiendi sermonis, quem Britannicus lega-

Ei tamen pacem faciendam suasit.

tus secum habuerat, de instaurando cum hostibus tandem fœdere prudenter callideque ita disseruit, ut Mustaphum non sine Purpuratorum plausu, quorum in conventu res agebatur, in suam sententiam attraxerit. Ex hac igitur Pageto renuntiavit, nullum ab Turcis impedimentum affuturum, quominus Vilhelmus Rex Bataviqne oblatam, Achmete imperante, pacificatorum operam sumerent impenderentque. Quod iis ubi cognitum, simul haud ignaris, ceteros Cæsari adversus Thracem societate illigatos libenter ab armis, dummodo honestis legibus, discessuros; dederunt iterum Vilhelmus Pageto ipsi, Batavi Jacobo Coliersо, suis apud Mustaphum legatis pacificandi negotium. Priusquam verò manus operi admoverentur, de præcipuis conveniri legibus visum est, quibus illud, veluti stabili fundamento innixum, spem daret, absolvi posse. Post varias ambages, quas referre otiosi hominis foret, in hanc formulam conventum est: *Uti possidetis, ita possideatis*, dum tamen si quod oppidum æquandis dirigendisque finibus cedendum, permutandum, aut diruendum esset, neutri abnuerent. Quæ dum sermonibus agitantur, utrique ab apparando bello nullam abstinuere curam, haud immemores, iniquius imbecilliori transigendum esse.

De præcipuis conditionibus conventum, & quales fuerint.

Itaque

Itaque Cæsar collectis, undecumque potuit, viribus, quinquaginta militum Germanici nominis millia præter aliquot Hungarorum legiones sub signis habuit. Horum qui in Transylvania hibernaverant, ad ejus custodiam illic retenti Rabutino duce. Pars major prope Petri Varadinum collecta, Principi Eugenio tradita; qua Turcarum consilia confringeret everteretque. Septuagenum & isti millium exercitum conflaverant præter Scythas, Visirium sequuti; isque pontibus coniuncto Savo ac Danubio, hinc Transilvaniæ, illinc Sclavoniæ ut superiore anno, minitabatur. Sæpius utrinque mutatis castris aucuparunt nocendi hostibus occasiones; nihil tamen profectum, unoquolibet aversato dubium facinus incertamque pugnam, unde certa militum cædes, & nullus, propinqua pace, constaret fructus. Contra Venetis urgere bellum in animo fuit, ratis, quicquid Thraci eripuissent, ex constituta paciscendi formula suum fore. Et si male res cecidisset, facile se ad propinquam usque pacem quicquid haberent, tutaturos. Idem Turcis adversus Venetos fuisse propositum, haud obscurum mansit, Singo, munito Dalmatiæ oppido, per æstatem insidiatis, & oram suis atque Epidaurensium finibus interjacentem facto popularium subitario delectu intercipere aggressis. Verùm tempestive ad eos

1698.

Utrique tamen bellum apparant.

Otiosi æstatem ducunt.

Venetis non idem otiandi animus.

Nullo tamen per Dalmatiam successu.

1698. eos propulsandos cum aliquot legionariorum cohortibus, collectaque provincialium ingenti manu accurrit Mocenigus prætor; elusaque vicissim quidpiam aperto Marte tentandi occasio; furtivis dumtaxat populationibus exagitatæ privatorum fortunæ. Per eos ipsos dies magnum pariter Peloponneso discrimen inferendum paraverat Giuruchus Turcarum ductor. Contracto e vicinarum arcium præsidiis prope Thebas veteranorum & provincialium ingenti agmine, isthmi munitiones, cùm Venetorum classis vela in altum dedisset, invadere constituerat. Eas Cornelius maris præfectus discedens firmaverat tribus Germanorum legionibus, ac nuper adducta sexcentum prope Italorum cohorte, jusseratque præterea, si hostis plus nimio urgeret, illuc Græcorum quidpiam adduci. Non tamen id sibi, prævalente suorum multitudine, quin pervaderet, impedimento fore Giuruchus arbitratus, infesta promoverat signa, viam dato impetu progressurus. Verùm in tempore ad proximum litus appulsa Veneta longarum navium classis ab suscepto proposito Turcas deterruit, non ita multo post in castra regressos. Cornelius de Consilii sententia sub Veris exitum omne maritimum robur in altum educens pervenerat ad Scyrum insulam cum hepteribus sex, quinqueremibus viginti. Præmiserat autem quatuor

Turca Peloponnesum intrare statuunt.

Deterriti Venetorum classe recedunt.

quatuor & viginti bellicas naves, duas incendiarias, tres ac viginti biremes cum Daniele Delphino (is Bartholomæo Contareno successerat) illarum præfecto , qui longius pervagatus, quid hosti virium , quid animi esset, scrutaretur & certi quidpiam afferret . Is descensione in Lemnum facta, circa litus aliquot incendit vicos. Imbrum deinde prætervectus , in Hellesponti faucibus se se Assano barbaricæ classis imperatori , qui ad anchoras in Abidi portu stabat , veluti lacessens pugnam , ostendit . At diu frustra præstolatus , ad Imbrum recessit, quò longas naves Cornelius admoverat, sociatis viribus Turcas, si tandem in apertum prodirent , aggressurus . Frustra ibi quoque triginta consumptis diebus, cùm illi ab Hellesponto non exirent, longas reducere in Peloponnesum naves constituit , iis infido nimis per autumnum mari, ac reliquam idcirco classem prægravaturis. Igitur Saronicum in sinum, ut narratum est, opportune pervenit, atque omne adventu suo periculum ab isthmo, quò Turcarum signa processerant , dimovit . Delphinus interea circa Abidenum fretum navigans cum bellicis navibus ac biremium agmine, Assanum ad certamen tandiu irritavit, quoad egressum cum quinis denis Byzantiis, quinque piraticis Africanis, ac duabus incendiariis, Tenedumque insu-

1698.

Veneti classem circũducunt hostem aggressuri.

Qui intra Hellespontum tenuit longas naves.

1698. *Cum bellicis majoribus Veneto occurrit.* insulam circumvectum, ut ferentem captaret ventum, obviam prope Lesbon habuit. Prælium atrox, quale inter elatos, alios nimia sui fiducia, alios iracundia, quòd vix non penitus despectui haberentur, extremo conatu sed una tantùm machinarum vi per plures horas exarsit. Neutrò prius inclinabat victoria, dein fortè nonnihil se in Turcas inflectere visa est, ob acerbum Prætoriæ Venetæ casum, quæ cum Turcicam paris ordinis urgeret, Questoriæ suæ antemnis, dum hanc imperite navarchus circumflecteret, in rudentes impactis illigata, ac duas amplius horas ab quatuor hostilibus sævissime verberata cum ingenti armamentorum ac mortalium strage tantum vice sua discrimen adiit, ut mox in prædam cessura foret, nisi aliquot subsidiariæ ad ejus opem convolantes, avertentesque in se verbera reciproco tamen ictu, spatium ipsi ad recedendum scissis demum retinaculis dedissent. Id unum in ea pugna contigit memorabile. Quidquid reliquum, ferocia licèt insigne, non insuetum. Vulneratæ utrinque naves, plurimaque laceratione fractæ vires, & mutua nec levis cædes. Sub noctem Assanus ad proximum Æolidis litus suas retulit. Veneti in victoriæ argumentum eodem, quo certaverant, loco se tenuere, donec Turcarum classem Asiaticum legentem litus, atque Hellesponti fauces

Concurrunt atroci pugna, quæ describitur.

Qui ejus exitus.

ces intrantem ; Piratarum Africanorum una minorem Tunesina prætoria, vadis pridem incussa, ad sua remeantem litora conspicati, in Peloponnesum reduces vela fecerunt, exacto prius e circumjacentibus insulis tributo, in victoriæ maritimarumque præpollentium virium argumentum. Id postremum hoc bello Martis opus. Reliquum anni tempus emolliendis pangendæ pacis difficultatibus consumptum. Suspensos haud parum habuerat Venetos oborta suspicio, quòd addita solenni formulæ, qua primus ad componendas hostiles discordias factus aditus, conditio permutandi cedendi avertendique, si quod oppidum alteri nimis incommodaret, quidpiam insidiarum, ut ab callido versutoque inimico, tegeret. Nec Sarmatis altera illa placebat: quicquid quisque possideret, retenturum. Sic enim ab Turcis Camenæcum, quod in potestate habebant, dimittendum haudquaquam fore videbatur. Verùm data ab Cæsare fide, non se conventurum, nisi hoc Sarmatis restituto nulla æquata solo munitione, & nulla Venetis illata fraude, utrique insidiarum metum posuere. Itaque bonis auspiciis indictus legatis congrediendi locus aperta in regione prope Carolovitium oppidum, secus Danubii ripam ruinis inhospitum, mediumque inter Petri Varadinum Albamque græcam. Illuc

1698.

Sarmatæ ac Veneti quidpiam fallaciæ suspicatur inesse oblatis a Turca pacis conditionibus.

Cæsar ipsis cautum fore spondet.

1698. *Legati ad pacis constabiliendæ opus conveniunt.*

ſeneſcente autumno convenere Pagetus Coli- erſuſque conglutinandæ amicitiæ moderatores. Ab Cæſare legationem obierunt Comites Wolfangus Ottingen aulici Conſilii præfectus, ac Leopoldus Schlikius inſtructor exercitus, qui tum præerat Segeduno. His additus privatim Comes Ferdinandus Marſilius, qui regionis, de qua diſceptandum erat, peritus legatorum conſiliis facem præferret. Affuere a Venetis Eques Carolus Ruzinus; a Sarmatis Staniſlaus Michelouskius Poſnanienſis Conventus præſes, Palatinum dicunt; a Moſchis Procopius Bogdani filius Voſnicinius. Egerunt Muſtaphi Regis partes Mehemetes ab regiis diplomatibus, & Alexander Maurocordatus, cui paucos ante annos munus idem cum Sulficario, ut memoravimus, apud Cæſarem mandatum fuerat. Ex ipſorum delectu patebat, verè Turcas pacem velle. Mehemeti ſiquidem capax ingenium, præterque popularium ſuorum morem facile ac moderatum. Græcus alter Byzantii natus, Romæ puer in ſuæ gentis Collegio bonis excultus artibus, adoleſcens Patavii medicinam edoctus, Italica dexteritate imbuerat animum, Chriſtiana ſimul Religione ſubactum. Is deinde Karæ Muſtaphi Viſiriorum principis, qui Viennam infeliciter oppugnavit, fortunam ſequutus, & magnis opibus, dum illa floreret, auctus; iiſdem, ejus par-

Ipſorum nomina ac dignitas.

ticeps

ticceps calamitatis, caput redemit. Haud ita multo post linguarum peritia versatilisque ingenii sagacitate in Aulæ notitiam regressus, adhibitusque interpretandis exterorum legatorum colloquiis, huc tandem pervenit, ut quamquam græcus, diversaque religione, Mehemeti collega pro tanti momenti re, qualis erat, diuturnas acerbissimasque discordias componere, datus fuerit. Adeo vel apud Barbaros, si bene rempublicam gestam velint, ad magistratus & munera virtus eligit. Sub autumni finem ad Carolovitium cuncti convenere. Locatum media in valle tabernaculum amplissimum, ubi conventus ageretur. Suaque circum legati statuerunt non sine ambitus contentione inter Sarmatas, Moschos, Venetos de honorificentiori obtinendo loco diu multumque altercatos, donec suadentibus Cæsarianis, si secum in quadratæ areæ angulis tentoria figerent, nullam ibi honoris & loci præstantiam patere posse; re ita composita conquievere. In tabernaculum quatuor aditus aperiebantur; a fronte Sequestribus, lævo ab latere Turcis, ab dextro Cæsarianis Sarmatisque, ab tergo Moschis ac Venetis; ita pariter dirempta dignitatis lite, qua nulla jamdudum inter Principes asperior ac obstinatior. Sæpius congressi, primi de biennalibus induciis convenere Moschi. Mox Sarmatæ

1698.

Ubi & quomodo Conventus agitur.

Inter Fæderatorum Legatos de nobiliori loco contentio dirempta.

Moschi biennales inducias paciscuntur.

1698. matæ, pacti Camenæcum integris munitionbus cum quinque Moldaviæ oppidis, quæ in ditionem redegerant, Regulo suo restituendis, commutatum iri. Durior fuit cum Cæsarianis disputatio, ægre aliquot prope Temesuarium arces decutiendas decoquentibus. Tandē annuerunt, nimiùm in Hispaniensem hæreditatem, quæ dilabi videbatur, intento Cæsare. Venetos, quos alia non distinebat cura, obfirmatos nullo, quem jure belli tenerent, loco decedere, vix non irrita delusit pax. Nam in præfinita pacificandi formula firmius hærentes nec oppida dimittere inducebant animum, quæ in Achaico litore adversùs Peloponnesum armis subegerant; nec se se ab Epidaurensium finibus usquam divelli, nec isthmi partem relinquere, quominus objectis illic montibus ad prohibendum aditum potirentur. Itaque Ruzinus legatus, frustra implorata Cæsarianorum aliorumque legatorum ope, in dissolvendi, re sua infecta, colloquii discrimen venit. Accepto deinde spatio rogandæ Senatus sententiæ, an vellet acquiescere datis conditionibus, nonnihil eorumdem legatorum officio tandem auctis, retinuit rei & ipse feliciter conficiendæ spem. Nec Senatus, quin eas acciperet, moram fecit; gnarus prudentis esse comparare sibi vel modica jactura a potentioribus otium. Quibus uni-

Quæ datæ Sarmatis acceptæque conditiones.

Quæ Cæsari.

Veneti sibi oblatas renuunt, & quare.

unicuique legibus pax coaluerit, quandoquidem hujusce anni fines colloquium transcendit, suo nos quoque tempore commemorabimus, fati prius, quicquid reliquum hoc anno dignum memoria contigit. Vilhelmus Portlandi Comes, legatus a Vilhelmo Rege missus in Galliam post conciliatam pacem, singulari honore ab Ludovico exceptus fuerat, reputante ad rem suam pertinere, præcipua quadam benevolentiæ significatione illum Vilhelmo apprime carum, eoque interprete Regem ipsum sibi devincire. Jam tum enim apud se constituerat, omnes contendere ingenii atque armorum vires, ut ne Hispaniense Imperium in Cæsaris domum perveniret; conscius, quantum inde periculum interjacenti Germaniam Hispaniamque Galliæ procreari posset. Rem difficilem noverat sibi proposuisse, nec facilè explicabilem, nisi in suam sententiam adduceret Vilhelmum Regem Batavamque Rempublicam, iisque suaderet a promisso discedere, quod novem ante annos inter icti cum Cæsare fœderis leges clanculum ascripserant, se se daturos operam, ut Carolus ipsius Cæsaris filius Carolo Hispaniæ Regi in amplissimam dominationem succederet. Hi siquidem si ope adducta forissent obstrictam Austriacæ domui Hispanorum voluntatem, in vado res futura videbatur; sobo-

1698.
Iis tandem acquiescunt.

Galliæ Rex Britannos Batavosque sibi de Hispana hæreditate Cæsaris filio non tradenda assentiri suadet, & quomodo.

1698. roborata præsertim Caroli Regis testamento, quod Archiduci fauturum, nemo hactenus dubitaverat. Quamquam enim confectis tabulis hunc nondum hæredem instituisset, quin & negasset puerum sibi in Regiam adduci; quæ duo Ferdinandus Harrachi Comes, in id ab Cæsare dudum ad eum legatus, frustra expugnare vel admotis Reginæ aliorumque procerum machinamentis annisus fuerat; haud obscura tamen erant indicia, utrumque propediem eventurum, data Mediolani præfectura Carolo Henrico Valdemontii Principi, Cataloniæ Hassiæ Darmstadiensis Landgravio, quos dubia in Cæsarem fide nemo esse ambigebat. Constituto autem hærede, noluisse desperatæ prolis omen subire; magis quoque illo, qualiscumque foret, in Aulam accepto, turbas suspicionesque timuisse, quæ nunquam desunt, extraneo successore ac præsente. Et Rex Ludovicus, qua erat mentis sagacitate, parvi ad rei summam ducebat acclamationes, quibus frequens Matritensium turba Harcurti Marchionem, ab se legationem illic obeuntem, prosequebatur, nonnullorumque in Delphinum versa procerum studia; quippe illas ab instabili vulgo comitate ac beneficentia, qua plurima Harcurtus utebatur, quæsitas; hæc æmulatione aut simultate adversus interiores Regis Familiares conciliata, facilè, si for-

Hispaniæ Rex negat Archiducem in Aulam suam traduci.

Dat Germanis duobus Mediolani & Cataloniæ præfecturas.

fortè variarent vices, peritura. Itaque solidiores artes sequutus, de traducendis Britannis Batavisque suas in partes cogitabat; cùm opportunus ad rem conficiendam Portlandi in Galliam adventus contigit. Hunc igitur officiis omnibus delinitum illexit ad suadendum Vilhelmo Regi, non minus Galliæ quàm Angliæ, Fœderatisque Ordinibus grave ac molestum fore, si duo iterum Austriaci fratres Josephus & Carolus, ut olim quintus Carolus primusque Ferdinandus Cæsares, tot Germaniæ populis latissimoque Hispaniensi Imperio jura darent. Vix suos intra fines cohiberi potuisse cognatæ Familiæ dominatum, dum longius utraque soboles a primo Philippo, unde manaverat, progressa minus audiret cognationis leges, sæpius etiam voluntate atque animo inter se dissideret. Quid si rursus unam in stirpem coalescat? Quare ut Europæ stabile firmetur otium, ex amplissima hæreditate quidpiam iis, qui totam sibi animo destinassent, tradendum esse, ne nimis doleant sibi penitus ademptam; reliquam Principi demandandam, qui unus hoc virium incremento ceteros anteire potentia nequeat. Civilis quædam prudentiæ imago rem commendabat. Patebat enim inexpiabili bello, si de integro Hispaniensi Imperio certandum foret, Europam misere deflagraturam. Placuit

1698.

Ludovicus Rex partiendum Hispaniæ Imperium Vilhelmo Regi suadet.

1698. propositum consilium Vilhelmo Regi. Itaque postquam Batavos, se monente, in eamdem sententiam ire comperit, de conditionibus nullo fere negotio convenit, transegitque itura in Galliæ Regis ditionem Neapolitanum ac Siciliense regna, maritimas in Etruria Hispanienses arces, & Guipuscoam provinciam, in eaque nominatim S. Sebastiani Fanum, Fontemque rapidum munita oppida. Archiduci Carolo cessuram Mediolanensem oram. Hispaniam, Americam, Belgium, reliquamque hæreditatem aditurum Ferdinandum Josephum, Bojoarii Octoviri Maximiliani filium, quinquennem puerum, e conjuge Maria Antonia susceptum, prole unica Leopoldi Cæsaris, & Margaritæ, Hispaniensis Caroli germanæ sororis, quæ succedendi in fratris locum jure solemnibus cæremoniis, ut libro sexto memoravimus, non se se abdicaverat; nec simplici, quam nubens ediderat, ejus dimittendi sponsione quidquam filiæ nocuisse videbatur; unde aliqua saltem legitimæ successionis emergebat species; quam qui sua freti potentia negligunt, iis maxima subeunda est improbe factorum pœna, sinistrum scilicet nomen atque execratio. Re decreta Vilhelmus, alia causatus, media æstate mare transmisit, Loumque profectus, ibi cum Gallis Batavisque oratoribus in dudum recen-

Qui Batavos in eamdem sententiam adduxit.

In quas partiendi conditiones conveniunt.

recensitas leges fœdus icit, data acceptaque fide, vi ad eas accipiendas, quicumque tergiversaretur, adactum iri. Ubi, quid illic gestum fuerat, innotuit; Cæsar, quamquam a Britannis Batavisque facta sibi promissa deseri, sua spe delusus, acerbissime doleret, non tamen ultra querelas progressus est; vel quòd ad pacem cum Turcis instaurandam ipsorum ope indigeret, vel quòd aliquantulum confirmata Hispani Regis valetudine, tempus ad captum clam se consilium evertendum, novaque subijcienda suppeteret. Carolus ademptam sibi constituendi hæredis libertatem acerbe tulit. Nec una hæc solùm ægrum animum divexabat cura, sed illa magis, quòd integrum tantæ molis Imperium a Majoribus acceptum, discissum mandare posteris cogeretur. Æque verò odiosa hujusmodi cogitatio proceres civesque reliquos exagitabat, haud ignaros imminuto regno, imminui gentis majestatem. Quare qui ab intimis consiliis erant, adnitebantur, ut immani periculo obviam iret. Re diu multumque deliberata, nullum præsentius remedium visum est, ac Principem Bojoarium, quem alii non levi parte minutum destinassent, hæredem ex asse fieri. Ita iis ludum reddi, qui vigenti adhuc tanta terrarum orbis parte Hispano decori inviderent. Vix ambigi posse, quidquam in

1698.

Cæsar ea de re modeste queritur, & cur non vehementer.

Carolus Rex designari sibi hæredem, & hæreditatis partitionem acerbissime detestatur.

Itidemque Hispani omnes, & quare.

Hæredem constituit Bojoarii Octeviri filium.

1698. eum, quem ipsi delegissent, nisi pudorem æquitatemque abiicerent, molituros; aut amplius de dividenda hæreditate cogitaturos; cùm satis compertum foret, uni, qualiscumque fuerit, intactam deberi, nec in partes, nisi violato jure, discerpi posse. Molestum consilium Carolo proponebatur, nimis jampridem obfirmato, e sua tantum familia successorem petere. Quin ex præjudicata opinione: id præcavisse quintum Carolum Cæsarem, tertium quartumque Philippos, ubi nonnunquam in suscipiendæ virilis sobolis discrimen venerant; an secus liceret, verebatur. Sed mutavit sententiam, postquam consultis divinæ civilisque scientiæ peritis, alios audiit affirmantes: ubi salus agatur publica, tacere conditas leges, iisque morem gerendum, quæ natura omnium animis de curando communi bono atque otio indidit; renunciantes alios: liberum esse Hispaniæ Regi hæredem, quem vellet, instituere; & si legibus moderanda res foret, cùm Delphini mater solenniter se Hispani regni jure abdicaverit, neminem Ferdinando Bojoario Principe, cui Carolus major esset avunculus, ei propius cognatione accedere. Illum igitur improvisò, ne competitorum cieret turbas, obsignatis testamenti tabulis hæredem inscripsit; nec ita multo post III. Kal. Decembr. convoca-

Ægerrime præterito Carolo Cæsaris filio.

Quibus istbuc adductus rationibus.

vocato procerum Consilio promulgavit, spe fretus, id Cæsarem Galliæque Regem æque præteritos (quód aliquod æmulis lenimentum est) mitius laturos. Res hoc anno parva dictu, sed quæ suspicionibus aucta, magnum in certamen excessit deditque sermonem, cùm superiori incæpisset, exitum habuit. Comes Georgius Adamus Martinitius, Cæsaris Romæ legatus, typis edito monumento propositoque per celeberrima Urbis loca, edixit, ut qui ab Germanico Imperio fiduciaria tenerent oppida, ea vel apud ipsum legatum, vel Mediolani apud Comitem Maximilianum Brennerium intra definitum tempus profiterentur, diplomata, si nondum accepissent, relaturi. Negligentibus indicta rescissi beneficii pœna. Palam erat digitum ad Romanos proceres intendi, veluti oppida Cæsari obnoxia, alieno titulo retinerent; quamquam unus tantùm hac lege nominatim Princeps Augustinus Ghisius postulatus de Farnesio oppido fuit. Perculit omnium animos quæstio jámdiu penitus obliterata. Quid verò ad eam intempestive revocandam causæ fuerit, variarunt sententiæ. Sed illa præ ceteris increbruit, privatis dissensionibus excogitatam. Nam cùm legatus domi suæ salutari ab optimatibus cuperet, & hi, nisi illic ab ejus dextra incederent sederentque, illum convenire

1698.

Cæsaris Orator odiosas Romæ contentiones movet; quæ illæ fuerint.

Quæ illarum causa.

1698. nire abnuerent; insinuasse Cæsari dicitur, d fiduciariis oppidis exquirendum esse, quorui cùm uno aliquo singulos potiri, certum cre deret; neminem esse, qui ad legatum dom suæ salutandum venire, eique ibi princip loco cedere, non foret opus. Adeo respubli ca privato, ac non suo pleruinque laborat vitio. Indoluit Pontifex maximus ad rei no vitatem, qua invicta Romanæ Sedis in quamlibet Pontificiæ ditionis partem jura percelli videbantur; vocatoque aliquot Patrum consilio de ipsorum sententia legati acta per Cardinalem Palutium Alterium, Camerarium, ut vocant, rescindi atque aboleri jussit; simulque deferri majestatis reum, quicumque ad ea se conformaret. Cum Cæsare acceptam ab legato injuriam expostulavit, repetivitque pœnam. Ille, se edicti auctorem professus, nil aliud sibi proposuisse dixit, ac Germanici Imperii jura sarta tecta ubique retinere. Si longius legatus processisset, extra noxam non fore. Cùm pateret rem disceptando productum iri, Innocentius huic, ne ad se accederet, interdixit; nec diu, multùm licèt exoratus a proposito declinavit, quoad mirifice exhilaratus, Thracibus ad Tybiscum amnem ingenti clade perculsis, clarissimæ victoriæ certior ab ipso legato fieri annuit. Quievere deinde animi, veluti sopito dissidio, cùm sub hujus

Pontifex Maximus Legati acta rescindit, ac detestatur.

Ipsum Aula interdicit.

Qua occasione placatur.

hujus æstatem anni dira iterum procella commoti sunt. Martinitius enim publico iterum edicto Chisium compellavit, ut Cæsari de Farnesio oppido responderet, depulsionis pœnam, si abnueret, minitatus. Refricatum vulnus, cui cicatrix obducta videbatur, acerbiorem Pontifici maximo dolorem movit, suasitque ejus prorsus causam excindendam, ne posset unquam recrudescere. Itaque Fabritio Paulutio, qui Sarmatica functus legatione in Italiam rediturus erat, negotium dedit, ut ad Cæsarem digressus argumentis evinceret, nihil Pontificiæ ditionis finibus contineri, quod obnoxium Germanico Imperio foret; simulque excitaret insitam ejus animo religionem, ut ne amplius tanta publicæ tranquillitatis pernicie turbulentis ingeniis præberet aures. Leopoldus ut indole ac virtute erat pronus ad æquitatem, rem facilè tenuit, jussitque oblivione quicquid gestum fuerat, obrui. Non tamen obtinuit, ut Martinitio interseptus iterum ad Pontificem aditus recluderetur; implacabili plerumque injuria, quæ majestatem læsisse visa sit. Sub hyemis exitum postremum obiit diem Ernestus Augustus Hannoveræ Dux, qui primus in familiam intulit Augustale creando Cæsari decus. Æstatis initio Vesuvius mons terribili strepitu ingentem igniti bituminis evomuit vim, quo late arva inundarunt. Insequens annus

1698.

Eadem rursus contentio recrudescit.

De qua cum Cæsare conqueritur.

Abolendam obtinet.

Hannoveræ Dux moritur.

Vesuvius vehementer excandescit.

1699. nus ad posteritatis memoriam clarus incedet ob redintegratam, confecto feliciter bello, cum Turcis pacem. Carolovitiensem Conventum longius produxerat inexuperabile Othomanorum legatorum propositum non omnia Venetis dimittendi, quæ in ipsorum potestatem jure belli pervenerant. Jamque sæviebat hyems gelidis pluviis intolerandoque frigore; quod cùm ferre diutius legati sub pellibus haudquaquam possent, non ultra VII. Kal. Febr: colloquium se prolaturos edixerant. Is ubi dies illuxit, obsignatæ acceptæque (Venetis dumtaxat sibi oblatas respuentibus) solenni pompa reconciliatæ pacis conditiones, lætoque tormentorum strepitu e Petri Varadino atque Alba græca plausus editus. Eæ fuerunt. Moschis biennales induciæ sunto. Interim dissidia, quæ pacem dirimant, componantor. Turcæ Sarmatis Camenæcum integris munitionibus; hi vicissim Moldaviæ Regulo Sarocham, Niemetium, Soczovam, & quicquid reliquum per eam provinciam teneant, restituunto. Omni se Turcæ in Uchraniam Podoliamque iure abdicanto. Scythis Cosaccisque vetitæ populationes. Per quinas vicennalesque inducias nihil hostile Cæsari cum Thracibus intercedito. Per id temporis Cæsaris fuat Transilvania suis finibus circumclausa; Universa quoque Hungaria præter Temesuarium

Pax cum Turcis composita a Legatis obsignatur ac declaratur.

Cum Moschis triennales induciæ.

Quas Sarmatæ conditiones acceperint.

Quas Cæsar.

rium & huic ascriptam oram, quæ in Turcarum ditione persistat; deleatque Cæsar Caransebes, Lugi, Lippæ, Chonadii, aliorumque oppidorum munitiones, prope Temesuariensem tractum circumjacentes. Tybiscum oppidum nullis Cæsar novis operibus communiat. Ab Tybisci fluminis in Danubium confluentis ostio ad Bossutum amnem, ubi Savum subit, fossa ducatur, suam utrique Imperio Sclavoniæ partem indicatura. Savus deinde ad Unnam usque amnem limes esto. Quicquid Cæsar in Bosniam oppidorum subegit, Turcis deserat. Trans Unnam, quæ prius habuit, retineat. Perduellium mutua in posterum insectatio sit. Qui tamen hactenus Turcico in Imperio, dummodo procul a finibus, domicilii sedem locaverint, iis fas ibi sit fide bona commorari, in patriam redire sit nefas; qua lege Tehelio aliisque perduellionis reis cautum fuit. Redintegratæ amicitiæ missis invicem legatis muneribusque indicium pateat; liceatque Germanis legationem obeuntibus cum omni comitatu Byzantii suæ gentis more vestibus indui. Cum Venetis hoc pacto se transacturos Turcæ promulgarunt. Totam sibi habeant Peloponnesum isthmique partem ad vestigia usque veteris muri, quo olim claudebatur. Ægina insula Saronico in sinu eorumdem sit. Expediant continentis litus dimisso 1699.

Quæ Venetis oblata.

1699. Naupacto, solo æquatis Anthirrii mœnibus. Leucadæ insulæ dominatum habeant ; Nicopolis deserant. In Dalmatia Castrum novum, Risanum, Ardubam, Lingum, Citclutum retineant. Fines per has postremas arces, ac per Verlicam, Duarium, Vergoratium, assignato unicuique in fronte trium passuum millium agro ducantur. Popovii Trebiniique vallibus restitutis, haud amplius ab Turcarum Imperio dividant Epidauriensem oram, qua parte ad Boream vergit. Nullum ab Ægæi maris insulis tributum exigant ; nullum vicissim pro Zacintho pendant. Neuter prope fines novas munitiones aut jam dirutas erigat ; neuter, quæ modò sunt, sarcire prohibeatur. Senatus, cùm quæ offerendæ sibi e constituta prius formula conditiones erant, diu frustraque obtinere contendisset, has non invitus accepit, Ruzinumque legatum ratas habere jussit. Ita magna nostri temporis felicitate, lætissimoque posteris omine, aucto Christianorum Imperio, Turcarum imminuto, quòd nunquam antea, pax convenit, magnificis deinde per autumnum legationibus celebrata. Ab Cæsare Byzantium missus Wolfangus Oettingæ Comes ; a Mustapho Viennam Ibraimus Thraciæ prætor. Obviam sibi ad utriusque Imperii fines prope Salenkemenum fuerunt ; productus alter ab Comite Vidone Starembergio Dardæ præfecto, qui

Ab iis prius recusata, tandem accepta.

Ad pacem firmandum obita Legationes, quæ fuerint & quibus cæremoniis celebratæ.

qui illuc bis mille ſtipatus equitibus acceſſerat ; alter ab Albæ græcæ armorumque per ea loca moderatore. Nullo honoris diſcrimine paribuſque officiis honeſtati, gratiſſimam Germanis æquatæ potentiæ ſpeciem exibuere. Venetam legationem Laurentius Superantius obivit, cui ſponſio facta, pacem cum Venetis, regnante Muſtapho, ſtabilem ac firmam fore. Sarmaticam Comes Lenziskius Lencicii Palatinus perpetuò duraturam tranſegit. A Moſchis diu ac prope ad uſque induciarum exitum certandum fuit, ut æquis legibus paciſcerentur. Muſtaphus obſtinaverat animo, illis pontum Euxinum penitus obſtruere, audiebatque ſuorum voces, indignantium, ejus gentis legatos Byzantium armata quadrireme advectos, regiæ urbi oſtendiſſe, brevi & facili curſu hoſtilem claſſem ad eam invadendam, adduci poſſe. Negabat proinde ſe Tanaim urbem (quam nunc Azachum nuncupant) munitaſque Boriſthenis ripas fauceſque in ipſorũ poteſtate relicturum. Verùm cùm Petrus ad ea loca profectus per æſtatem, ſub ſignis haberet centum prope armatorum millia, ſatius Turcis viſum eſt quidpiam ſeveritatis remittere, qua per omnem anteactam ætatem cum Moſchis uſi fuerant, atque in hujuſmodi conditiones, dum exacto prope biennio vix non arma ad bellum expedirentur, rem compone-

1699.

Difficulter cum Moſchis res compoſitæ, & vix ſub exitum induciarum.

In quas conditiones tandem convenerint.

1699. re. Tricennales induciæ panguntor, quo tempore Tanais urbs cum circumposito tricenum passuum millium agro Moschorum esto. Pontus Euxinus onerariis ipsorum navibus, aditusque per Bosphorum in Ægæum pateat. Nullum Scythis tributum pendant. Quatuor in Boristhenis ripa extructæ munitiones, quibus fluvii navigationem in sua ditione retinebant, delentor. Jus per id locorum, ut antea, Turcæ dicunto. Legatus a Petro Rege ad Mustaphum illustri pompa ac muneribus ito; qui pari excipiatur cultu ac reliqui Christiani nominis Principum. Pace Terra marique parta, non tamen ubique arma siluerunt. Pigebat Augustum Regem, Misniensium copiarum, si domum redirent, præsidio se denudari. Non enim Turcico patrato bello probabilis ulla se se offerebat occasio, qua per Sarmatiam diutius diversarentur; movebaturque, quia cogi poterat, civium querelis, illæ ni discenderent, vim minitantium. Itaque medium consilium cœpit invadendæ Livoniæ, quæ olim Sarmatico Imperio, nunc Svecico obtemperabat; caussatus dedisse, dum solenni pompa inaugararetur, Reipublicæ fidem, se quicquid ejus fuisset, recuperaturum. Sarmatas vehementer doluit, ne consulto quidem Senatu, moveri bellum, quod, privato licèt Regis nomine susceptum, sibi, Suecorum robur non semel exper-

Bellum ob Augusto Rege adversus Suecos suscepti origo.

Non sine Sarmaturum querelis.

expertis, ingentes ærumnas pariturum facilè portendebant, & liberæ audiebantur complurium Procerum voces quiritantium, cives suos tot jam defessos incommodis, novis e Regis arbitrio involutum iri. Is tamen a proposito non se dimovit; sed Petro magno Moschorum Duce in societatem ascito, ut quisque ejus provinciæ partem ab suis olim possessam reciperet, Flemingum legatum, priusquam hyems discederet, cum exercitu illuc præire, ac Rigam regionis caput improviso incursu oppugnare jussit. Jacet urbs validis cincta propugnaculis ad amnem Dunam, & frequenti præsidio tenebatur. Vixdum igitur ad mœnia successit, major legato visa, quàm ut, quæ modò sibi essent, viribus tentari posset. Itaque intactam reliquit, circumduxitque legiones ad aliquot surgentes in ripa proximisque tumulis munitiones, quibus in potestatem redactis, oppido commeatus intercluderentur. Cunctis expugnandis, quod non parvi negotii fuit, decessit æstas; militum animos, ne labore deficerent, ipso, qui signa paullo post fuerat assequutus, acuente Augusto Rege. Interea Moschi Narvam obsederant. Sed cùm ea pariter probe circummunita retunderet hostium impetum, dedissetque Regi suo duodecimo Carolo, qui statim ad inopinatum discrimen accurrerat, colligendi subitario delectu

1699.

Fœdere conjuncto cum Moschis.

Rigã Livoniæ caput invadit.

Ac statim recedit, oppugnatione in obsidionem versa.

Moschi Narvam aggrediuntur.

1700. lectu quod maximum potuit robur, coegit illos inito conatu abire. Hoc acerrimi obstinatique belli initium fuit, quod, communis Martis varietate, Augustum primò, deinde Carolum vix non penitus perdidit, utrumque arridentem sibi vicissim fortunam factamque prosperi successus spem nimis avide sequutum; cui fidere, inexperti rerum humanarum est. Per idem tempus longe major procella, quæ mox horribili fragore stragem edidit, micare cœpit. Carolus Hispaniæ Rex Ferdinandum Josephum Bojoarii Octoviri filium, ut memoravimus, hæredem sibi nuncupaverat, perculeratque inopinato molestissimoque vulnere Leopoldum Cæsarem ac Ludovicum Regem, sua ei succedendi spe dejectos; quos tamen, ne ultra querelas progrederentur, cohibuit confirmata per eos dies ab recenti languore Hispani Regis valetudo. Secum siquidem ipsi statuerant, cum tempus suppeteret ad ejus expugnandam voluntatem evertendumque susceptum consilium, mitioribus artibus utendum sibi esse. Inter hæc designatus hæres postridie Nonas Febr. nondum sexennis moritur. Quare quò major ad rem e sententia gerendam patebat locus, eò vehementius exarsere competitorum studia, & quisque Carolo diligentius blandiri; pellicere in suam partem procerum potentiores; cavere ne qui ex

Bavariæ Princeps designatus Hispaniæ hæres moritur.

ex adverso starent, negotiis præficerentur. Hinc æmulatione aut invidia maximæ inter istos obortæ dissensiones, & prout aliqua invaluisset factio, alterius primores in exilium pulsi. Adeout Aula, imbecillo ad eam moderandam Rege, fluctuanti similis videretur. Vincebat autem huic insitus in Germanos Austriacos amor, & inveterata apud Hispanos ex iis petendi successoris opinio; cùm præsertim ipsius Regis obsideret aures dilecta coniux Anna Maria Neoburgensis, Caroli Archiducis matertera, ne diversis consiliis exagitatus in Borboniam stirpem inclinaret animum. Quod ubi compertum Ludovico Regi, viditque prehensandis proceribus parum profici, ad pristinum dividendi Hispaniensis Imperii, adhibendique ad prosperum rei eventum Britannos Batavosque propositum rediit; callide sapienterque arbitratus, huic declinando periculo, quod nimiùm Hispanis odio erat, unum aliquem ab Rege Carolo hæredem sibi statim constituendum esse; qui si e Delphini liberis desumeretur, se voti damnatum fore, ad tuendamque hæreditatem omne sibi affuturum Hispaniæ robur; si ex Austriaca aut alia qualicumque domo, Fœderatorum ope aditurum datam sibi ejus Imperii partem, qua non levi Gallicum regnum incremento augesceret. Eodem igitur, quo antea, usus in-

1700.

Cæsar & Delphinus ejusdem hæreditatis competitores.

Hispani Proceres in alterutrum partem propendent, & Aula variatis vicibus fluctuat.

Carolus Rex in Cæsaris filium propensior.

Ludovicus Rex iterum de partiendo Hispanico Imperio cum Vilhelmo Rege ac Batavis convenit, & quo consilio.

ter-

1700. terprete Portlandi Comite ad Vilhelmum Regem Batavorumque Rempublicam iterum ſe convertit, cum ipſiſque facilè de re convenit. Politica enim dividendi latiſſimi regni, ne unquam ceteris immineret, ſpecies erat, manebatque recentis partitionis formula, ad quam ſe conformarent. Condictum itaque, ut, ſi Carolus nulla edita prole vita cederet, in Delphini ejuſque ſucceſſorum poteſtatem venirent Neapolitanum & Siciliense regna, Guipuſcoa provincia, maritimæ Hiſpanorum Hetruſco in litore Ilvaque inſula munitiones, liguſtinum Finalium, atque inſuper Lotharingia, pro qua Regulo ſuo daretur Mediolanenſis ora. Haberet Archidux Carolus Hiſpaniam, Americam, Belgium, & quicquid ubique inſularum Hiſpano Imperio contineretur. Si rem abnueret, alter in ejus locum communi Fœderatorum ſententia ſufficiendus eſſet. Quid verò ille ſibi gerendum proponeret, tres intra proximos menſes ediceret. Hæc exeunte hyeme deliberata, ac ſtatim delata Cæſari Hiſpaniæque Regi, quamquam utrique acerba, non tamen eoſdem utrobique ciere motus. Cæſar, filio plurima ex parte deſignato hærede, ratuſque, haud facile ſuarum eſſe virium, cuncta repetere; ſimul ex ipſa re admonitus, quid ſpei locandum in amicorum promiſſis, moderato animo nuntium accepit, de-

Decreta inter ipſos partitionis conditiones

deditque responsum: intempestive huc modò sermonem curasque insumi, confirmata Caroli Regis valetudine; nec sibi, nisi eo consulto, liberum esse, de re decernere. At verò in Hispania quammaximos in Regis, Procerum, civiumque animis tumultus excitarunt. Dolebat in primis, tantam Imperii molem in partes dividi; & quicquid isthinc divelleretur, æque damno ac dedecori vertebatur; quippe ademptis provinciis, magistratus amplissimi, splendidissima sacerdotia non amplius in suæ gentis utilitatem cessura forent, tantumque Majorum industria partum potentiæ robur non sine majestatis vulnere debilitatum iri. Plenum deinde injuriæ atque intolerandum videbatur, eripi potentissimo Regi suarum rerum arbitrium; cumulabatque dolorem præteriti recordatio temporis, quo nemo id ausus fuisset; præsentis conditio, quo in tantam audaciam ventum esset. Igitur cujuscumque ordinis cives fremere ac vociferari, centuriandam ubique juventutem, nec ab armis cessandum, nisi comperto, nullam regni partem ab corpore discessuram. Huc erogandas privatas opes; detrahendum e templis aurum, argentum, Divorumque ornamenta; siquidem Catholicæ Religionis nimiùm interesse, Hispanum Imperium integrum servari ac vigere, cujus auspiciis per Americam

1700.

Ea apud Carolum Regem Hispanosque male audiunt.

1700. & Europam, quin ubique terrarum, illa non parum ſplendeat ac propagetur. Quæ cùm ſæpius apud Regem in ſelecto procerum conſilio acerbis ſermonibus diſſiparentur; curas iſti cogitando intendebant, quæ hujuſce amoliendi periculi ratio iniri poſſet. Placebat ab Rege Principum aliquem, ut dudum Bojoarii filium, hæredem inſtitui. Qui verò inſtituendus eſſet, variabant ſententiæ. Reginæ clientes de Archiduce Carolo non ambigendum arbitrabantur, quem vel ipſi partiendi regni auctores ad Hiſpaniæ ſolium deſtinaſſent; ſequendumque in hoc pariter eligendo, ut nuper in Bojoario, eorumdem judicium, atque ita ſaltem Batavis Britanniſque adverſandi occaſionem adimendam. Maximum autem huic ſententiæ momentum addebat nunquam non firmiſſimus in gentiles ſuos Caroli Regis amor, præjudicataque jamdiu Hiſpanorum opinio. Alii, quorum princeps Franciſcus Benavides Stephanopolis Comes, eductum e Borbonia ſtirpe Andegavenſium Ducem præferebant, ſuffultum materno jure, quod utique dimitti, reclamantibus legibus ac legum interprete conſuetudine, non potuiſſet. Quòd ſi vel hæc tanta illum deficerent obtinendæ cauſa præſidia; tamen aſciſcendum, ajebant; niſi fortè cum incredibili popularium calamitate Gallica in ſe arma cie-

Carolus Rex unum ſibi hæredem facere, ne Regnum divideretur, ſtatuit.

Alii Archiducem Carolum deſignandū ſuadent.

In quem propendebat Regis animus.

Alii Delphini Filium Andegavenſium Ducem.

re

re vellent, quibus jam ad regni fines promotis nemo in Hispaniam aditum prohibere posset. Verùm cùm Regis valetudo quidpiam ad cogitandum spatii promitteret, minus percellebat animos hujusce periculi obiectus metus, qui plerumque, ni præsens immineat, parum valet ad suadendum. In Archiducem igitur, plurium sententiis expetitum, voluntatis inclinatione Rex ferebatur. Muniendum illi erat, ne vis externa intercederet, ad Regiam, obeundamque tot regnorum hæreditatem iter. Quod, quo pacto sine magno aut saltem placabili tumultu fieret, diu multumque sermonibus agitatum, non satis explicabatur. In deliberationem venit, an aliquot accersendæ Germanorum legiones (decem millium agmen loquebantur), quæ obsiderent Galliæ saltus, hinc si forte infesti in Hispaniam exercitus perrumpere niterentur. At re diu multùmque perpensa, denique sententia vicit negantium, id usui fore. Nam si eo tantùm, qui dicebatur, decem millium numero Germani milites accerserentur; adversus inundantes hostes nihil momenti habituros. Si justo exercitu; qua classe transmittendum, qua conscribendum retinendumque pecunia, quo alendum commeatu? Nimis quoque eam gentem Hispanis odio esse, paucarum dudum legionum rapacitatem superbamque sui negli- 1700.

1700. gentiam expertis. Secus autem de Italia consultum est, decretumque Germanicis præsidiis, quicquid illic Hispaniensis ditionis esset, insideri; petitum quoque a Pontifice maximo diploma, quo Neapolis Siciliæque regna, Romanæ Sedis fiduciaria, in Archiducem eodem jure post Caroli mortem traducerentur. Id ut consilium eluderet Ludovicus Rex, clam egit cum Innocentio contenditque, ne injuriam, quæ sibi inurenda curaretur, auctoritate sua graviorem faceret. Palam simul Carolo Regi denunciavit, Italiam Germanis copiis prohiberet, ni se iterum bello involvi cuperet. Pontifex Maximus aversatus, negando aut assentiendo in alterutram partem descendere, sagaciter se subduxit, dato diploma petentibus responso: se, nisi Romanorum Patrum consulto Senatu, de re tanti momenti quidquam deliberandum, haud æquum ducere; nec male Austriacæ Hispanæ stirpi, præoccupato rerum eventu, ominatum velle. Carolus, retentis suæ solum gentis præsidiis, de Germanis tacuit. Ludovicus interea timore blanditiisque Hispanorum animos, quos in suam causam adduceret, tractare aggressus, arte pervicit, ut quò ipse tenderet, sponte illi ruerent. Harcurtum prolegato, qui ex Hispaniensi legatione in Galliam dudum redierat, quinquagies armatorum millia cum ingenti bel-

Germanicis præsidiis Neapolitanum potius regnum, Siciliamque tutandam dari decernitur.

Bellum minitanti Ludovico Regi, nisi eo consilio abstineret, Carolus Rex, tacite assentitur.

Ludovicus Rex exercitum ad Hispaniæ fines admoveri jubet.

bellico apparatu ad Pyreneorum saltus admovere jussit, in Hispaniam, si occasio ita ferret, transgressura. Simul Belgicas de controversis oppidis quaestiones non, ut olim, summa severitate, sed facili propensoque animo componi voluit. Mandavit insuper magistratibus militiaeque praefectis ut ubique publica privataque Hispanorum negotia benigne audirent, cum gratia conficerent. Hinc brevi, ut sunt Hispani obsequio placabiles, pristino mitigato animorum dissidio, ferri amore atque admiratione in benevolum Regem, ac per vulgus hominum dissipare: nihil sibi magis optandum, quàm ex ejus domo Andegavensium Ducem Regi suo successorem dari. Ita siquidem nullum deinceps ab aemulis Gallis metum affore, quin potius mitissimi dominatus certam spem; illo Avi benevolentiam, quam modò Hispanis ostenderet, ac facile eamdem mentem retenturo. Haec late diffusa provincialium inclinatio in Regiam progressa, excitavit sopita complurium Procerum in eamdem sententiam studia, aliorum conciliavit. Et impendens jam prope discrimen, ingravescente quotidie magis Caroli valetudine, superabat, ut fit, reliquas curas. Vincendus erat Regis animus, in idque ab interioribus amicis identidem proponebatur malorum illuvies, quae, nisi in solium ascito Gallico Principe,

mox

1700

Obligandis sibi Hispanis quas artes adhibeat.

Qui idcirco Andegavensem sibi dari Regem cupiunt.

Itemque Procerum plurimi;

1700. mox irruptura videretur. Nec ſane irrito incœpto, cùm tandem, qua erat in ſuos pietate, commoveri viſus eſt. Jamque regia Conjux, quique ab Archiduce ſtabant, minus audiebantur. Apud ipſum quoque ſtudio præſertim Cardinalis Portocarreri invaleſcere opinio cœperat plurium, quos conſuluerat, civilis divinique Juris peritorum, perſanctè affirmantium ut ut illa ſolenni Regiæ ſororis abdicatione obſeptum hujus liberis ad ſuccedendum iter fuiſſet; rem tamen legitime quoque geſtam concidere, ſi corruat, quæ ad gerendam ſuaſiſſe cauſa dicebatur. Cautum tanto illo jurium apparatu, ne unquam in unum Galliæ Hiſpaniæque regna coire poſſent. Agi modò ut ex eadem ſtirpe duo ſurgant Principes, qui duplicis Imperii gubernacula diverſis & forſitan contrariis aliquando ſtudiis moderentur. Nihilo ſecius, cùm adhuc, quam in ſententiam abiret, hæreret Carolus, quæſita eſt machina, qua penitus impelleretur. Pontifex maximus conſulendus proponitur, quid e republica in hoc maximi momenti negotio cenſeret eſſe. Religioſiſſimo Regi conſilium placuit, datiſque ad Innocentium literis, atque obteſtatus arcani fidem: quid ab ſe Procerum voce, Civium deſiderio poſtularetur, ei palam fecit. Id ne jus faſque ſinerent, in obſcuro ſibi eſſe. Explicaret proinde legum peritia dubiam

Regi proponunt, quid regno futurum eſſet mali ab Gallicis armis, ſi Andegavenſem ſucceſſorem reſpueret.

In quem inclinare ille animum cœpit.

Pontificem maximum ea de re conſulit.

biam impeditamque causam; dirigeret sagacitate fluctuantis animum; summi Sacerdotii auctoritate monstraret viam, quæ sibi pro communi salute ineunda foret. Innocentius re per interiores Aulæ ministros expensa, Regi ex horum sententia renuntiavit: Patriam primas in hominum mentibus vindicare sibi partes, secundas propinquos. Hac lege unicuique vivendum; at quanto magis Principi, cujus unica agendi regula, commune bonum. Satis id Carolo fuit, ut suam ad frequentissimorum Procerum Civiumque voluntatem adjiceret. Jusso proinde Antonio Ubilla, qui a publicis epistolis ei erat, testamentum conscribere, quo Dux Andegavensium Philippus hæres institueretur, tabulas postridie Kal. Oct. legitimis cæremoniis adhibitoque Cardinalium Portocarreri ac Borgiæ; Ducum Medinæ Sidoniæ, Infantadi, ac Setiæ Aragonensis; Pimentelli Beneventi Legionensis Comitis, & Emanuelis Arias testimonio, sua manu subscriptas obsignavit. Hæredis nomen, arcani licèt tenebris occultatum, latuisse Ludovicum Regem nemo ambiget; tantùm ut secum reputet, nascentem auctoritatem mox interitura potentiorem esse, novique Principis gratiam nullo adhibito rerum modo avide quæri. Ille tamen velut incertus, Harcutto imperavit, celeriter expediret bellicum ad Hispaniæ fines appa-

1700.

Quod responsum retulerit.

Philippum Andegavensem hæredem testamento relinquit.

1700. apparatum, injiceretque timorem, se, cùm primùm se daret occasio, ascriptam Regi suo ejus regionis partem invasurum. Etenim tentari morbo vehementius cœperat Caroli salus, atque adeo in præceps ruere, ut non levis de ipsius morte quandoque rumor manaverit; falsi tamen citò redargutus, illo deinde haud semel in publicum prodeunte, quamquam eo corporis habitu, ut quandocumque omnium oculis non se offerret, faceret suspicionem, quidpiam sibi sinistrum accidisse. Idque vel ipsum Regem Ludovicum (ut nihil ubi maximæ res aguntur, non pensi habetur) solicitum tenuit adeo, ut confestim Losannæ Comitem, Harcurti fratrem, jusserit ire gratulatum Leviro confirmatam, ut fama ex Aula prodibat, valetudinem; mandatumque ut nulla, qua prohiberetur, accepta excusatione, præsentem salutaret, e vultu externaque specie conjecturus, quid illi roboris, quid spei ad vitam producendam foret. Hanc autem Rex Kal. Nov. cum morte commutavit. In eo Stirps Hispaniensium Austriacorum a primo Philippo per senos Reges traducta, cùm ducentos amplius viguisset annos, exaruit. Quadriennis mortuo Patre, regnum acceperat non uno concussum ictu. Ipso dominante magis inclinare visum. Plura siquidem ad exanimandos Hispanos, quominus bellicam Avorum lau-

Moritur.

laudem referrent, conspirarunt; puerilis primùm Regis ætas; huic deinde, infirmo plerumque corpore, rarò mens vivida parque arduis curis; mox desperatio prolis; aucta demum supra modum finitimæ Galliæ potentia. Ingens tamen sui desiderium civibus reliquit, iisque fuit apprime carus ob insitam ejus animo pietatem, religionem, justitiam, liberalitatem, quibus virtutibus stat præcipue salus publica, & verum Principum decus. Sed fortunam miramur; virtus in censu vix reputatur. Mortuo Carolo, referatæ testamenti tabulæ, quem sibi hæredem fecisset, in propatulo posuerunt. Præfatus ibi, idcirco Patrem Avumque suum, cùm nuptui filias Galliæ Regibus dedissent, eas prius abdicatas voluisse in paternum Imperium succedendi jure, ne unquam in unius potestatem Gallia Hispaniaque legum patrocinio abire possent; ceterùm non induxissent animum, illas earumque posteros avito solio interdicere; se dixit, hujusmodi simul caventem periculo, atque integro tantæ molis Hispano regno retinendo; simul ab iisdem legibus non discedentem, hæredem cooptare majoris germanæ suæ Mariæ Theresiæ nepotem Philippum Andegavensium Ducem; dare secundas vices ipsius fratri Carolo Bituricensium Duci; tertias Archiduci Carolo; postremas Victorio Amadæo Sabaudiæ Du-

1700.

Ingens Civibus sui desiderium relinquit.

Testamento referato, ejus de successore voluntas, & successionis ordo palam fit.

1700. Duci, quos ordine suo posteri eorum sequerentur. Nemo Hispanorum non excepit ad primum nuntium (ut in subitis rebus, cùm nondum se colligit animus) ingenti plausu Andegavensis nomen; nec quidquam illico per provincias, metu an stupore, turbatum. Tantæ rei nuntius citatis equis in Galliam adductus lætitiis omnibus eam Gentem exhilaravit. Rex Ludovicus qua erat mentis sagacitate ac rerum prudentia, ne nimio elatus gaudio ob suam stirpem amplissimo donatam regno, ceterorum iram ex invidia inflammaret, tantisper deliberantis induit speciem: Nepoti ne datum e Caroli voluntate mallet universum Hispaniense Imperium, an sibi e Fœderatorum sententia ejus partem. Quatriduo post, veluti communi omnium Hispaniæ ordinum desiderio gratificaturus, illuc dominatum ire Andegavensem, annuit. Quæ inde emerserint bella, vicissitudines, calamitates (non enim sine ingenti strepitu maximoque tumultu tanta moveri moles poterat) magnum erunt quarti Voluminis argumentum, cui scribendo, si tamen otium ac vita suppeditabunt, nostram navare qualemcumque pergemus operam. Paullo ante Carolum Regem V. Kal. Oct. fato cessit Innocentius P. M., sextum supra octogesimum annum ingressus, postquam novem annos, duos menses, quinosque denos dies

Quid primùm ea de re Hispani senserint.

Rex Ludovicus Nepoti annuit hæreditatem adeundam.

Innocentius XII. P. M. moritur.

dies regnasset. Magnis Sacrorumque Principi consentaneis virtutibus floruit, honestissime acta vita, morum suavitate, studio Religionis, effusa in pauperes, quos consanguineos suos vocare consueverat, beneficentia. Illi non velox ingenium, nec multis subactum disciplinis; at promptum ad exquirenda sapientum consilia, solers ad meliora secernenda, idoneum ad exequenda. Literas verò adeo in aliis amavit, ut, quos ipsarum compotes reputavit, cunctos honoribus ac liberalitate sit prosequutus; saluberrimaque illa morientis vox celebretur: id unum sibi imperanti in animo fuisse, ut non aliud, quàm ex virtute, ad honores pateret iter. Si in aliquo eventus fefellisset, non sibi vitio, sed circumsessæ insidiis Aulæ, communi regnantium malo, tribuendum esse. Magnificum sane propositum ac Principe sapiente dignum; quod si desit, Respublica ad interitum ruere opus habeat. Hinc severissimis ab eo legibus obsessus futurorum Pontificum in propinquos amor, pulsusque e Majorum instituto gravissimis pœnis ambitus, ut ne unquam sordidissima pecuniæ merces, at meritorum præmium, magistratus forent; neve Romanum sacerdotale Imperium fœdissima hujusmodi peste labefactari posset. In ejus locum suffectus, undecimi Clementis nomine, Cardinalis Joannes

1700.

Ejus elogium

1700. Franciſcus Albanus, Urbinas, dum ſecundum ſupra quinquageſimum annum ageret. Supremæ Dignitati pares jam tum ei vires, egregiis imbuto animi virtutibus, omni diſciplinarum genere ac bonis artibus; quibus viridi licèt ætate, & magna impenderet procella Reipublicæ, maturus idoneuſque Imperio viſus eſt. Cùm publicis votis expeteretur, ſacerque Senatus illum ſummo conſenſu eligeret, unus ipſe tridui ſpatio extremaque vi communi deſiderio explendo moram fecit; non aliter tandem victus, quàm objecto, ſi non cederet, noxæ metu; claruſque ſtatim inceſſit vel parto ſibi iis meritis eaque Senatus voluntate, vel ſpreto ea mentis magnitudine Sacrorum Imperio.

In ejus locum Clemens XI, licèt invitus, ſufficitur.

Finis Libri Decimi Quarti & Tomi Tertii.

INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

A

Achmetes Turcarum Rex irrito eventu conjuratione petitur. 58. iterum 101. moritur. 118.

Albanus Joannes Franciſcus P. M. eligitur Clementis nomine. 412.

Anglicanum Concilium magna pecunia Regem Vilhelmum juvat. 11. Plura pro eius tutela decernit. 255.

Auguſtus Federicus Cæſarianorum exercitum adverſus Turcas ducit. 141. Temeſvarium invadendum ſtatuit. 197. pugnat adverſus Turcas, & quo exitu. 205. recedit cum periculo. 209. Poloniæ Rex eligitur. 321. Cracoviam pergit 324. plures adverſæ factionis ſibi adjungit. 326. inauguratur. 327. bellum Svecis movet, & quare. 396. Rigam fruſtra invadit. 397.

B

Badenſis Princeps Ludovicus in Angliam appulit, & de bello decernit. 12.

Batavi ad bellum diligentius ſe comparant. 10.

Beuflerſus Gallorum Legatus Namurcum defendit. 161. a Fœderatis poſt deditionem retinetur, & quare. 176. dimittitur. 177.

Brivates portus deſcribitur. 50. a Fœderatis fruſtra oppugnatur. 51.

Bruxellæ ingenti ruina a Gallis opprimuntur. 170.

C

Caletum ab Anglis ollis incendiariis verberatur. 258.

Carolus Hiſpaniæ Rex ad pacem ſine Cæſare componendam invitus trahitur, & quare 291. ſucceſſorem ſibi eligit Bojoarii Octoviri Filium,& quare. 387. eo mortuo de altero deſignando In-

Innoc. P. M. consulit. 406. Philippum Borbonium Andegavensium Ducem testamento hæredem declarat. 407. moritur eiusque laus. 408.

Carolus Sveciæ Rex pacis constabiliendæ inter Christianos Principes sequester 272. Narvæ auxilium affert, & ad bellum se comparat. 398.

Carolovitiensis Conventus pro pace cum Turcis describitur. 381. obortæ illic inter Fœderatorum Legatos de nobiliori loco contentiones. ibid.

Castanagæ Marchio adversus Russellam quereias obiicit, & quare. 265. Exercitus præfectura se abdicat. 266.

Chij descriptio. 84. oppugnatio. 87 expugnatio 99 eaque Venetiis apud sapientiores male audit, & quare. ibid. defertur. 1 3

Concio Caprare pro dissuadenda Temesvarii oppugnatione 194. Episcopi Uladislaviæ ad Polonorum Comitia. 317. Kinskii pro suadenda cum Turcis pace. 366. Mansfeldi ad Sabaudiæ Ducem. 242. Mustaphi Regis ad Janizarorum Præfectos. 143. Palatini Voliniæ ad Augustum Regem. 323. Turcæ Equitis prætoriani contra Achmetem Regem. 101. Veteranii ad sui exercitus Præfectos. 150. Vilhelmi Regis ad Batavorum Senatum. 7. ad Regni Comitia. 252.

Conjuratio in Vilhelmum Regem 249. dissipata. 257.

Colmenerus Franciscus Valentiam contra Gallos propugnat. 245.

Contiaci Princeps Poloniæ Regni candidatus. 308. quo successu. 316. ad Sarmaticum litus appulit. 329. in Galliam redit. 331.

Cosacci Scythas ingenti strage fundunt. 227.

D

Deppa a Fœderatis ingenti damno labefactatur 53.

Dunquerca describitur. 55. frustra ollis incendiariis contunditur. 56. iterum inani eventu. 180.

E

Egosa describitur, & expugnatur a Gallis. 23.

Estensis Franciscus Mutinæ Dux moritur. 32.

Eugenius Princeps Cæsareo Exercitui in Ungaria præficitur. 334. ingenti victoria pugnat adversus Turcas. 342. Bosniam invadit. 346. recedit tenui fructu. 347.

Far-

F

FArnesius Franciscus Parmæ Dux in patris locum succedit 33.
Farnesius Rainutius Parmæ Dux moritur. 33.
Fœderati propositas iterum a Gallis pacis conditiones repudiant. 158. Classe Dunquercam pyrolmis frustra labefactare conantur. 55. iterum inani pariter eventu. 182. plura Gallici littoris oppida affligunt ollis incendiariis. ibid.
Federicus Augustus Octovir Misniensis in Joan: Georgii Fratris locum succedit. 34. *Vid.* Augustus Rex.
Ferdinandus Josephus Bojoarii Octovir. Filius successor a Carolo Rege declaratur. 387. moritur. 398.

G

GAlli Athum invadunt, & subigunt. 274. Barcinonem invadunt 277. & in potestatem redigunt. 289. Egosam in ditionem accipiunt. 23. Palamum capiunt. 16. Gerundam occupant. 17. Ostarlicum in potestatem accipiunt. 20. Oceani litus muniunt 259. Palatinatum populantur 35. *V.* Ludovicus Rex.
Germani Alsatiam diripiunt. 38 Bicatium invadunt, & deserunt. 335. suas copias ex Italia reducunt trans alpes. 248. *V.* Augustus Rex. Eugenius Princeps.
Gerunda describitur, & oppugnatur a Gallis. 17.
Gonzaga Carolus Mantuæ Dux vi ad Fœderatorum voluntatem accedit, & quomodo. 30.
Gratiæ portus ollis incendiariis ab Anglis verberatur. 54.

H

HAnnoveræ Dux Ernestus Octovir moritur. 391.
Harrachi Comes Ferdinandus frustra nititur Archiducem Carolum in Hispaniam adduci. 384.
Hispani Ostarlicum frustra oppugnant. 25 itidem Palamum. 183.
Hispaniæ Regna dividi conveniunt Galli, Britanni, Batavi. 384. iterum 386.
Huyum a Federatis expugnatur. 48.

I

IAcobus Britanniæ Rex ad Britannicam expeditionem se comparat, & quo apparatu.

tu. 250. deserit. 257. magnanimus ejus sermo ad Ludovicum Regem. 299.
Innoc.XII. apud Cæsarem redarguit famam Hibernæ capiendi in Ecclesiastica ditione, & falsam reperit. 33. Archiepiscopum Paulutium in Sarmatiam mittit ad discordias dirimendas. 362. fęlici eventu. 363. promotas a Martinitio contentiones abolet 390. a Cæsare prorsus delendas obtinet. 391. moritur. 410. ejus elogium. 411.
Joannes magnus Moschorum Dux moritur 223.
Joannes Poloniæ Rex moritur, & celebratur. 228.
Julia in Germanorum potestatem venit. 140.

K

Kamenæcum, tentatur a Polonis infelici eventu,& quare. 265. ad eos redit pacis conditione. 392.
Kusseinus Visirius Mustaphum Regem ad pacem hortatur. 373.

L

Landgravius Darmstadiensis Hispanorum contra se querelas diluicit. 265.
quomodo compressæ. 266.
Leopoldus Cæsar Scoeningium dimittit Misniensi Octoviro gratificaturus. 34. Allobrogum Ducem ad fędus retinendum suadet, & illicit. 242. de pace constabilienda cum Gallis dissentit, & quare 271. Legatos tamen ad Conventum mittit. 272. pacem cum Turcis redintegrare statuit. 372. quibus conditionibus eam reconciliat. 392.
Liberius Gerarcharius Græcus Venetis maxime infestus. 120. ipsis in gratiam redit, & quare 217.
Lippa Turcis deditur, 146.
Ludovica Maria Casimira Joannis Poloniæ Regis Vidua Ferdinandum Curlandiæ Ducem in Solium evehi studet. 307. favet deinde Octoviro Misniensi. 311.
Ludovicus Contiacensis. *Vid.* Contiacensis Ludovicus.
Ludovicus Galliæ Delphinus exercitum ducit in Belgio. 140. insignem expeditionem conficit. 44.
Ludovicus Rex pacis conditiones proponit. 2. quæ repudiantur. 4. seorsum tentat Allobrogum Ducem. 5. iterum alias conditiones proponit. 157. seorsum Batavos ad pacem solicitat. 231. ampliores Sabaudiæ Du-

Duci offert, fœlici eventu. 241. Hispaniæ Regna dividenda proponit. 399. quomodo. 400. Nepoti Hispaniensem hæreditatem adeundam annuit. 410.

M

Maclovium inutili eventu a Fœderatis divexatur. 178.
Mansfeldus Comes Legatus a Cæsare ad Sabaudiæ Ducem. 241.
Maria magnæ Britanniæ Regina moritur. 155.
Martinitius Georgius Adamus Cæsaris Romæ Legatus odiosas contentiones movet. 389. qua de causa. ibid. Aula idcirco interdicitur. 390. qua occasione a P. M. iterum recipitur. ibid. rursus eas agitat. 391. & revocatur. ibid.
Maurocordatus Alexander Græcus, Turcarum Legatus ad Conventum Carolovitiensem qua fuerit fortuna, genere, & indole. 380.
Memorantius Luxemburgi Dux moritur. 159.
Misnienfis Octovir Poloniæ Rex inaugurari studet 310. P. M. in suas partes adducere nititur. 312. Catholicam Religionem amplectitur. 310. V. Augustus Rex.
Moschi Axiacem invadunt, & recedunt. 138. Tanaim frustra oppugnant. 139. rursus invadunt. 222. capiunt. 226. adversus Turcas, & Scythas pugnant. 355. a Tavana insula deiiciuntur. ibid. inducias cum Turcis paciscuntur. 381. deinde pacem componunt. 395. Narvam aggrediuntur inani eventu. 397.
Mustaphus Rex Achmeti succedit. 118. Ejus dominandi initia 119. Janizarorum tumultus comprimit. 142. ad exercitum in Hungariam pergit 339. quo eventu 340. Adrianopolim regreditur. 346.

N

Namurcum a Fœderatis oppugnatur. 169 expugnatur. 176.
Noallius Legatus in Catalonia pugnat, & quo eventu. 14. Cataloniæ Prætor a Ludovico Rege renuntiatur. 19.

O

Ogishius Vexillarius, alterius Lithuanæ factionis Dux 364. quo exitu 365. Op-

Oppugnatio celeberrima Barcinonis a Gallis. 277 Athi a Gallis 274. Brivatis a Fœderatis. 51. Chii a Venetis 82. Casalis a Fœderatis. 187. Citcluti a Venetis. 75. Egosæ a Gallis 23. Gerundæ a Gallis. 17. Maclovii a Fœderatis. 178. Lippæ a Turcis. 147. Namurci celeberrima a Fœderatis. 161. Olcinii a Venetis. 213. Ostarlici a Gallis. 20 Palami ab Hispanis. 184. Tanais frustra a Moschis. 128. iterum felici eventu. 225. Temesvarii frustra a Germanis. 197.

P

PAgetus Vilhelmus Britanniæ Legatus pacem cum Cæsare ejusque Fœderatis reconciliandam Turcis proponit. 372.

Pax quibus conditionibus constabilienda a Ludovico Rege declaratur. 3. per Italiam sancitur. 248. inter Gallos, Hispanos, Britannos, Batavos 294. inter Cæsarem, & Gallos reconciliatur. 297. quibus conditionibus. 301.

Petrus magnus Moscorum Dux Tanaim invadit, & recedit. 139. rursus oppugnat. 225. & occupat. 226 Luctissum in potestatem accipit. ibid. in Regiam regreditur triumphantis specie. 227. ad sacrum contra Turcas fœdus accedit. 333. peregrinatur. 356. cum Octoviro Brandeburgensi congreditur. 357. Amstelodamum petit. ibid. in Angliam transmittit. ibid. Viennam ad Cæsarem pergit, & quibus honoribus excipitur. 358. seditione in Moscoviam revocatur. 359.

Philippus Borbonius Andegavensium Dux Hispaniæ Rex testamento declaratur 409.

Poloni magna clade Scythas afficiunt. 69. ad pacem cum Turcis inclinant animum, & quibus conditionibus. 72. Procerum discordiis exagitantur. 134. cum Turcis pacem componunt. 392.

Polonia a suis militibus divexatur. 305. ingentibus turbis affligitur propter duplicis Regis electionem 322.

Poloniæ Regni Candidati. 306.

Poloniæ Comitia describuntur. 313. in duas factiones dividuntur. 314. pars Contiacensem eligit. 316. pars Misniensem Octovirum. 320. ad quem legationem mittunt. 323.

Por-

Portlandi Comes Vilhelmus Britanniæ Regi suadet Hispaniense imperium dividendum. 383.

Pugna Gallorum cum Hispanis prope Torruellas. 14. Germanorum cum Turcis prope Temisvarium. 205. prope Tibiscum 342. Moschorum cum Turcis. 225. Polonorum cum Scythis. 69 Turcarum adversus Veteranium. 150 Venetorum cum Turcis in Peloponneso. 122. Navalis Moschorum cum Turcis. 224. Venetorum cum Turcis. 107. 126. 219. 350. 351. 353. 378.

R

Rainaldus Estensis Fratris filio succedit in Mutinæ dominatu. 32.

Risvvicensis Conventus descriptio. 272.

Russelus Britannicam classem adversus Gallos ducit. 256.

S

Sapieha Princeps fovet Lituanorum dissidia, & quo successu. 364.

Scythæ Poloniam ingenti clade depopulantur. 134.

Seditio Moschorum 360. quomodo compressa 361. quibus pœnis multata 362. itidem Hungarorum adversus Cæsarem recrudescit. 336.

Sulficarius Turcarum Legatus ad Carolovitiensem Conventum. 380.

T

Tehelius Hungaros ad rebellandum solicitat 334.

Temesvarium a Germanis oppugnatur 197. oppugnatio deseritur, & redintegratur. 198. iterum deseritur. 199.

Tessei Comes Renatus Allobrogum Duci conditiones pacis offert. 232. clam cum ipso congreditur. 235.

Tokajus Franciscus Hungaros rebelles pugna contundit. 337.

Trautmestorfi Comes Venetæ militiæ Præfectus Turcas a Peloponneso repellit. 97.

Turcæ Peloponnesum invadunt, & repelluntur. 96. iterum 120. Tybiscum oppidum occupant. 148. fluviatili classe Germanos invadunt. 63. eorumque castra 65.

Tybiscum oppidum a Turcis capitur. 339.

V

Valdemontius Carolus Henricus oblatum suis copiis a Gallis periculum devitat. 168.
Valentia a Gallis oppugnatur. 245. in potestatem redigitur. 247.
Veneti Citclutum occupant. 75. Epidauriensibus incommodant. 78. placantur. 81. Chium occupant. 89. deserunt. 112. Olcinium invadunt. 212. recedunt. 216. oblatas a Turcis pacis conditiones primò respuunt, postmodum accipiunt. 382. quæ illæ fuerint. 393.
Vesuvius ingentem igniti bituminis vim evomit. 391.
Veteranius Federicus pugna a Turcis opprimitur. 149. moritur. 153.
Victorius Amedeus Allobrogum Dux Calvinianos in valles Cottias redire permittit. 13. ad pacem invitatur a Ludovico Rege 5. iterum 232. a Fœderatis ad eam repudiandam impellitur. 234. sed frustra 239. ad Gallos accedit. 244. Valentiam invadit. 245.
Vilhelmus Rex classis Præfectos dimittit 11. Batavos ad prosequendum bellum hortatur. 7. egregio consilio Gallis periculum procreat. 42. a Delphino elusus. 43. post Conjugis mortem solus regnat. 156. Namurcum oppugnat. 161. expugnat. 176. conjuratione iterum petitur. 249. adversus Gallicam classem, & conjurationem quid egerit. 251. pacem constabiliendam cum Gallis statuit. 268. in eamdem sententiam Hispanos, & Batavos adducit. 270. quibus eam conditionibus sancit. 294.
Villoregius Gallorum Legatus Novumportum frustra tentat. 169. Dixmudam, & Deinsam occupat. 170. Bruxellas ollis incendiariis obruit. ibid.
Vindocinus Dux Hispanos in Catalonia aggreditur. 266. Barcinonem oppugnat. 277. in potestatem redigit 289.

Z

Zenus Antonius Chium invadit, & occupat. 83. faustam navalis pugnæ occasionem deserit. 92. a Chio discedit. 112. a Senatu multatur. 117.